MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80314-10

AUTHOR: WINTER, GUIDO

TITLE: DE MIMIS OXYRHINCHIIS

PLACE: LIPSIAE

DATE: 1906

Master Negative #
91-80314-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

887.17
Z8
v.1

Winter, Guido, 1882-
De mimis Oxyrhynchiis. Dissertatio...quam... scripsit Guido Winter... Lipsiae, Seele, 1906.
63 p. 21½ cm.

Thesis, Leipzig.

Volume of pamphlets

74484

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm   REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA ~~IIA~~ IB IIB
DATE FILMED: 10-30-91   INITIALS ER
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE
MIMIS OXYRHYNCHIIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI
RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

GUIDO WINTER 1882-
WEESENSTEINENSIS

LIPSIAE MCMVI
Dr. SEELE & Co.

RETTULERUNT AD ORDINIS PHILOLOGOS DE HAC DISSERTATIONE
LIPSIUS **MARX**

PROCANCELLARIO
MARX.

LIPSIAE D. XIV. M. MAI. A. MCMVI.

PARENTIBUS CARISSIMIS

Ji mimi, qui in tertio Oxyrhynchiarum papyrorum volumine[1]) editi sunt, vel per se digni essent, qui copiosius tractarentur, nisi eodem fere tempore Hermannus Reichius[2]) primus tanto studio, quanto res egere mihi videtur, mimicam quaestionem commendavisset. Sed antequam ad hanc primam hypothesin, ut Reichii artis vocabulis e Plutarcho (Mor. 712 E) assumptis utar, et ad paegnium, quod in eiusdem cartae versa scheda scriptum est, accedimus, neque Reichii librum neque totam rem plane diiudicare me posse confitendum est, quamobrem minime ad altissimas quasi radices cum illo descendere audebo, sed omnibus veterum scriptorum notis, quas vir ille doctissimus congessit, grato animo usurpatis nihil tractare conabor nisi ea, quae ad haec fragmenta describenda et interpretanda pertineant vel artissime cum iis cohaereant. Britannis denique et Crusio[3]) tam multa me debere commemorandum est, ut singula quaevis annotare nequeam.

---

[1]) The Oxyrhynchus Papyri, Part III, 1903, ed. Grenfell. et Hunt., no. 413.

[2]) Hermann Reich, Der Mimus, I, 1903.

[3]) O. Crusius, Herondae mimiambi[4], 1905, p. 99—116.

Pars I.

De rebus grammaticis.

Caput 1.

De orthographia.

Alteri scribae rectam, alteri versam schedam attribuendam esse, id quod ii qui primi hanc papyrum ediderunt e litterarum forma collegerunt (Ox. Pap. III p. 41), ex orthographia quoque elucet. Quamquam enim hos scribas non tam diligentes esse variumque in modum de via deflectere postea videbimus, tamen cum uterque rationem quandam scribendi sequi tum illius qui rectae partis mimum repetiit cum illo qui mulieris adulterae mimum litteris mandavit ratio adeo videtur consentire, ut dubium esse non possit, quin versae partis duo illa fragmenta ab eodem scripta sint. Nam qui recta huius papyri parte usus est magis ad Prisciani[1]) regulam inclinat, ita ut omnem i longam littera *ει* scribat, velut *γείνεσθαι* (10. 57. 106) et *πείνειν* (51. 54), id quod gravioris etiam momenti erit, si quis eas partes huius papyri, quae barbarorum vocabula, ut ita dicamus, continent, accuratius tractabit (61 *κονζει*, 62 *πακτει*, 63 *παξει*, et quae sequuntur). Erravit autem in verbo *ὤνειος* (52) pro *ὤνῐος*, quod minus orthographiae quam grammaticae mendum videtur esse. Partim enim ratio adiectivorum in — *ειος* exeuntium vel per se satis multiplex est[2]), partim ex eisdem secundae declinationis

[1]) Inst. I 50, Grammatici Latini ed. Keil. II p. 37.
[2]) Brugmann, Griechische Grammatik[3], 1900, p. 181.

substantivis persaepe adiectiva et in — *ιος* et in — *ειος* terminata derivantur, velut a substantivo *ἵππος ἵππιος* et *ἵππειος*, a substantivo *δοῦλος δούλιος* et *δούλειος* aliaque permulta, quae facile inveniet qui viri docti Alyi dissertationis[1]) paginam 33 cum pagina 18 conferet. Iterum denique scriba A erravit, ni fallor, in flumine *Ψώλειχος* (40). Neque tamen hoc diiudicari poterit antequam alterius scribae rationem scribendi perspexerimus. Quem eandem atque ille normam sequi putabit qui in v. 108 *βεινήσῃ*, in v. 122 *πεφειμωμένη*, in v. 114 *μαστειγ* legerit. Neque de *φιμοῦν* quidquam commemorari potest nisi hoc verbum in scriptis litteris rarissimum esse (pag. 14 sq.), ita ut orthographiae mendum nihil miri habeat. De *βεινέω* autem G. Meyerus[2]) haec exhibet: . . Hiefür ist *βεινέω* gut bezeugt: Etymol. Magn. 197, 48 *λέγει δ' Ἡρῳδιανὸς ὅτι τοῦτο διφορεῖται κατὰ τὴν γραφήν. τινὰ γὰρ τῶν ἀντιγράφων διὰ τῆς ει διφθόγγου γράφουσι τὴν λέξιν, τινὰ δὲ διὰ τοῦ ι.* Auch Hesychius hat *βεινέω* und *βεινητιάω*, die M. Schmidt in *βινέω* und *βινητιάω* verwandelt und weit von ihrem Platze weg gesetzt hat . . ., et in Ox. Pap. I 11, 1 (50—150 p. Chr. n.) legitur *ἐβείνησα*. ***Μαστειγ*** denique quin magis neglegentiae quam inscientiae sit nemo dubitabit, qui in v. 109, 110, 112, 137, 154 *μάστιγες* et *μαστιγίας* conspexerit. Quos quinque locos si cum versibus 197, 111, 114 (ut 118 omittamus), ubi legimus *γίνεσθαι*, et cum versibus 164, 165, 167, 178, 179, 180, ubi legimus *παράσιτος*, contulerimus, quo maxime inclinet scriba B facile apparebit: antiqua enim orthographia Attica, quam Herodianus eodem tempore redintegrare studebat, uti omnemque i vel brevem vel longam littera *ι* exprimere conatur. Ac re vera via et ratione eum usum esse imprimis inde intellegimus, quod eodem loco, ubi A certe *παραγείνονται* scripsit, B *παραγίνονται* exhibet (197), et quod ipsum nomen fluvii *Ψώλειχον* in *Ψώλιχον* mutavit (210).

Quod nomen ab eo qui primus hanc hypothesin compo-

[1]) C. F. Aly, de nominibus *ιο* suffixi ope formatis. Berol. 1873.
[2]) G. Meyer, Ueber den Uebergang von *ει* in *ι* im Griechischen. Beiträge . . . indogerm. Sprachen I (1877) p. 84.

suit fictum esse elucet ex obscenitate verbi ψωλή[1]). Altera autem huius vocabuli pars unde sumpta sit non tam facile pronuntiari potest. Nam qui rectae partis scribam omni modo defendere vult, afferre potest vocabulum τάρῑχος, quod cum vocabulo Armenio tarech Leo Meyerus[2]) non inique confert, et nomen Iamblichus, quod nonnulli[3]) i longa uti opinari videntur, licetque suspicari alieno sono et insolenti scriptorem designare voluisse flumen peregrinum. Sed quis est qui tam spinose rem illum sibi excogitasse putet? Quo accedit, quod nomen Iamblichus, quamquam stirpe Graeca non utitur, tamen nominibus Graecis simili modo terminatis accommodatum esse epigramma Anthologiae Planudeae (272, 1) docet, ubi huius nominis i brevis est. Referendum igitur Ψώλειχος est ad haec ipsa nomina exitumque -- ῐχος pro ισκος[4]), quem invenimus in verbis ὀρτάλῐχος, ἄστρῐχος, κόψῐχος et in nominibus Σίμῐχος, Φρύνῐχος, Ἰσμήνῐχος, Σωτήρῐχος, Μητρῐ́χη (Herondas I 7, 61, 76). Et sicut in C I G II 3345 legimus Σωτηρείχου, ita hic quoque mimographus Ψώλειχος scribendum esse censuit. Qua in re alter scriba, quippe quem orthographiae Atticae studiosum viderimus, eruditior fuit: eodem enim loco, ubi in recta parte sine dubio ante oculos erat Ψώλειχος — quamquam Britanni et Crusius (Ψώλι) χον in v. 27 e falsa versae partis similitutine suppleverunt — φώλιχος scripsit.

Breviter proinde complectamur, quae de itacismo, qui in πεῖν quoque forma (66. 162) elucet[5]), commemoranda sunt unamque inconstantiam addamus, quam adhuc praetermisimus, ne rationem scribendi quasi obvelaremus.

Exprimit A omnem i longam littera ει nullo excepto loco.

[1]) non ψωλός, quod in Ox. Pap. III p. 52 allatum est, cum ψωλὸς ἀπεψωλημένον, non glandem significet.

[2]) Leo Meyer, Handbuch der griechischen Etymologie, 1901, II p. 788.

[3]) Cf. A. Pauly, Real-Encyklopaedie d. cl. Altertumswissenschaft, 1846, IV p. 4 Jamblĭchus.

[4]) Brugmann, Gr. Gr.[3] p. 206.

[5]) Cf. Kühner-Blaß, Griech. Gr.[3] (1890) I 2, p. 520.

Studet exprimere omnem i brevem littera ι; errat in vocabulis Ψώλιχος (40) et ὤνιος (52), quippe quae re vera i brevi utantur. Exprimit omnem ει littera ει.

Studet B exprimere omnem i longam littera ι; errat in vocabulis βινέω (108 — ?? vid. p. 5), μάστιγες (114), φιμόω (122). Exprimit omnem i brevem littera ι nullo excepto loco. Studet exprimere omnem ει littera ει; errat in vocabulo πλατεῖα (v. 162 πλατίᾳ).

Quorum mendorum gravissimum est πλατίᾳ, quod ad eximiae eruditionis laudem huic scribae abiudicandam satis valuerit. Neque tamen illud μεισομενε pro μισούμενε, quod versui 186 superscriptum videmus, huic attribuendum esse sine ulla dubitatione crediderim, sed, nisi ipsae litterae simillimae sunt, alium hoc superscripsisse putaverim, qui itacismo depravatus esset litteramque o ad consuetudinem Aegyptiorum obtuse sonaret. Eidem fortasse illud γινομεν (118), quod, nisi Crusium secuti μετέχειν vel simile quid inserere volumus, pro γενομέν(ων positum esse verisimile est, opprobrio dandum est. Vix autem elegantiorem scriba A se praebet, si iure Crusius in v. 57 αναπεσ vocabuli ἀναπαιστικὸς compendium esse putat, quae coniectura comprobatur, si in v. 57 re vera (συμπανισμοὶ) δ'ἰόντων πρὸς ἀλλήλους latet. Quamquam enim litterarum ε et αι confusio his temporibus increbrescit[1]), tamen hoc in artis vocabulo scribam eruditionem, si praesto fuisset, non studio abditurum fuisse manifestum est, unde auditione tantum res metricas eum cognovisse facile quis concludat.

Minore deinde constantia usus B in v. 195 et 112 scribit ποιησ-, in versu autem 113 ποησ-, cum A semper ποιησ- exhibeat (8. 25). Ceterum autem in vocabulo ποιεῖν οι in ο mutatur ante ε et η iam in quinti saeculi inscriptionibus Atticis[2]), in papyris autem rarius occurrit[3]). Quod vero B

[1]) F. Blaß, Ueber die Aussprache des Griechischen[3], 1888, p. 67. Cf. Ox. Pap. II p. 340.

[2]) K. Meisterhans-Schwyzer[3], Grammatik der attischen Inschriften, 1900, p. 57.

[3]) Guilelmus Croenert, Memoria Graeca Herculanensis, 1903, p. 116 sqq

scribit ἔσω (128. 140), quamquam in compositis semper εἰς adhibet (128 εἰσελεύσομαι etc.) et A semper utitur praepositione εἰς (40. 59. 210), plane congruunt cum horum temporum usu. Neque enim unquam fere in papyris Oxyrhynchiis aliud quidquam invenitur nisi εἰς- vel ἰς- et ἔσω, quod in sermone vulgari adeo pervulgatum erat, ut interdum in eorum scriptorum, qui εἴσω forma utebantur, velut Cassii Dionis (50,12) libros irreperet[1]). Quo loco afferenda sunt posterioris aetatis vocabula ἐσωκουρίτης, ἐσωμονῖται, ἐσωτερικός, quae semper breviorem formam exhibent.

Haec de vocalibus. Manifestum enim esse puto aeque ac δ(ιέ)φυγεν in v. 132, ubi sine dubio διέφυγον exspectatur, in v. 208 παρ 'ὀλίγαν pro παρ' ὀλίγον calami lapsui attribuendum esse, id quod Britanni quoque et Crusius videntur censere. In consonantibus autem ea, quae a nostra scribendi ratione abhorrent, plerumque cum illorum temporum scribendi consuetudine plane congruunt. Velut minime hi scribae constantia carent, cum in mediis verbis assimilant litteram ν gutturalibus (A v. 98 τυγχαν, B. v. 131 καταγγ(έλλω), in praepositionibus autem cum verbis coniunctis non assimilant (A v. 3(; σύ)ν-χαιρε, B v. 120 συν-λαβόντες, 160. 179 ἐν-κρατής, v. 171 συν-κεχραμένον). Haec enim norma saepe in papyris occurrit atque imprimis intellegi potest e Dionysiae papyro[2]) eadem fere aetate qua nostra papyrus scripta, ubi semper (vicies quater, si incerta omittimus; velut col. VIII 10. 15. 20. 22. 23. 25. 26. 29. 32) in praepositionibus cum verbis coniunctis litteram ν legimus, semper (semel et vicies; velut, ut varia verba afferam, col. IV 33, V 9, VI 12. 35, VIII 12. 17) in mediis verbis litteram γ ante gutturales positam. Validior autem quam in littera ν assimilatio est in littera κ[3]), ita ut quod in v. 193 invenimus ἐγδέχεσθε nihil miri habeat. In verbo πανόλημπτος (173) pro πανόληπτος nasalis quae dicitur

[1]) Idem p. 113 not. 1.

[2]) Ox. Pap. II no. 237, 186 p. Chr. n.

[3]) E. Mayser, Grammatik der griech. Papyri aus der Ptolemaeerzeit, II. Teil. Stuttgart 1900. p. 40.

irrationalis occurrit, quae e praesenti λαμβάνω in alias formas irrepsit[1]). In verbo autem ποταπὸς pro ποδαπός, quod veteres de δάπεδον derivaverunt, Brugmannius[2]) cum prop-inqu-os (ποδ-απ-ός) confert, cum multorum illius aetatis scriptorum consuetudine (velut Lucas 1, 29) B consentit, repugnat contra Phrynichum, qui exhibet:[3]) ποταπὸς διὰ τοῦ τ μὴ εἴπῃς, ἀδόκιμον γάρ. διὰ δὲ τοῦ δ λέγων ἐπὶ γένους θήσεις . . . Summa denique libidine litteram paragogicam ν tractatam esse qui versus 115, 177, 151, 131; 121, 187, 186, 127 perlustraverit facile intelleget; itaque qua de causa in v. 165 (ἐστι) ν inserta sit nescio.

Caput 2.
De declinatione.

Forma ἦς (183), quamquam scriptores Attici semper ἦσθα exhibent, „in vulgari dialecto fere ordinaria est“[4]). Aoristus deinde secundus, qui in hellenismo qui dicitur sensim recessit, in iis formis, quae eum diutissime retinebant,[5]) semper fere occurrit: in infinitivo (26 εἰπεῖν, 146 ἰδεῖν, 160 γενέ(σθαι), in participio (94 ἀναβαλόντες, 216 εἰσελθοῦσα, 109. 120. 122. 138. 158. 163. 169), in imperativo (1.69 βάλε, 138 ἴδετε, 100. 196. 139. 144. 154 bis. 155 bis. 169. 172) excepto imperativo εἴπατε, (141), quae forma in sermone vulgari formam εἴπετε plane demoverat[6]). In v. 166 invenimus aoristum secundum ἐγένετο, in versu autem 20 formam rarissimam κατεῖδαν, quae si varias lectiones neglegimus non occurrit nisi Matth. 13,

[1]) Idem p. 26.

[2]) Brugmann-Delbrück, Grundriß d. vergl. Gramm. d. indog. Sprachen, 1889, II p. 461.

[3]) Lobeck, 1820, p. 56—59. Rutherford, The new Phrynichus, 1881, p. 128—30.

[4]) Lobeckius, ad Phryn. p. 149: Ἦς ἐν ἀγορᾷ, σόλοικον. λέγε οὖν ἦσθα . . . .

[5]) Winer-Schmiedel, Grammatik des neutestamentlichen Sprachidioms[8], (1894) I § 13, 13. Blaß, Grammatik des neutestamentlichen Griehisch[2] (1902) p. 47.

[6]) Westcott and Hort, The new testament of the original greek, 1885, p. 164 sq.

17; 25, 37 sq. et 2. Samuel. 10, 14[1]) (cf. etiam Orph. Argonautica v. 119).

Caput 3.
De syntaxi.

Sermoni vulgari accommodatissimum est, quod interdum, cum sententiam subiectam esse exspectamus, libera est, velut in v. 38 δοκῶ χοιριδίων θυγατέρες εἰσί et 173 δοκῶ πανόληπτος γέγονεν ὁ παράσιτος. Neque aliter ubi dicere vel imperare se quid velle quis annuntiat, hoc modo maiorem auctoritatem verbis suis comparat, velut in v. 122 sq.: ὑμῖν λέγω· ἀπαγαγόντες αὐτοὺς . . . . προςδήσατε et 131 sq. ἐγώ ὑμῖν καταγγέλλω, ἐκεῖνοι . . . . οὐ μὴ λάθωσι. Neque neglegenda sunt illa indicia, e quibus quantopere in optativi usu haesitaverint huius aetatis scriptores intellegere possimus. Optativus enim cum ἄν coniunctus iam diu e primariis sententiis sermonis vulgaris decesserat et in Novo Testamento tribus tantum locis invenitur: ubi apud regem Agrippam Paulus loquitur (Act. 26, 29), ubi Candacae eunuchus nobilissimus loquitur (Act. 8, 31), ubi stoici et Epicurei eruditione inflati loquuntur (Act. 17, 18). Atque in recta parte huius papyri bis vitatum esse optativum perspicuum est: in versu enim 46 indicativus praesentis eius locum obtinet (ὑπακούουσι); ei autem, qui eadem in versa scheda tractavit, illud tempus idoneum non esse videbatur ad potentialem exprimendum; itaque eadem ratione qua Novum Testamentum[2]) plerumque usus indicativum futuri praeferebat (222 ὑπακούσουσιν). Hic idem ubi optativum non evitat, menda effugere non potest. Nam in v. 160 (ἐνκρατὴς θέλω γενέσθαι πρίν τι τούτων ἐπιγνοῖ) nemo veterum optativum usurparet, quoniam primarium enuntiatum et negatione et tempore historico vel optativo[3]) caret. Quod autem hic mimographus

---

[1]) Blaß, Gramm. d. neut. Gr. ²47. Winer-Schmiedel § 13, 13.

[2]) Blaß, Gr. d. neut. Griech.² p. 224 sq.

[3]) cf. Joseph Sturm, Geschichtliche Entwickelung der Konstruktionen mit πρίν. Schanzii „Beiträge" 1 (1882) p. 311 sq.

ea aetate, qua omnes fere in coniunctione πρὶν nihil adhiberent nisi infinitivum, ad optativum vel per se inusitatissimum refugit, pravam aliquam elegantiam videtur depingere harum mulierum ut ita dicam semieruditarum. Ac ne alius quidem horum temporum usus desideratur: in versu enim 118 modus irrealis positus est sine particula ἄν (εἰ δέ σε σκάπτειν ἐκέλευον . . . ., κενός σοι κύσθος . . . . ἐφάνη), id quod postea in elegantiores quoque scriptores intravit. Μὴ autem paratacticum (125 sq. καὶ βλέπετε μή ποτε τῷ ἑτέρῳ δείξητε, μὴ . . . μεθ' ἡδονῆς ἀποθάνωσι. 174 συνακολουθήσατε αὐτῷ μή καί τι πάθῃ) cum apud veteres[1]) tum apud posteriores[2]) occurrit. In pronominibus deinde eum quem Immischius[3]) uberius tractavit et vulgaris imprimis sermonis esse dixit usum hic quoque exstare nostra interest: τί enim pro ὅ adhibetur in v. 181: λέγω τί με δεῖ λέγειν. De praepositionum denique varietate postea (p. 35 sq.) loquemur: hoc autem loco nihil proferendum est nisi omnes et cum priorum scriptorum et cum Polybii usu, quem Krebsius[4]) observavit, congruere. In versu autem 59 εἰς τὰ μερίδιά φησι λάχωμεν ita interpretor, ut διαιροῦντες[5]) mente supplendum esse censeam.

Caput 4.
Unde vocabula sumpta sint.

In ipsa verborum formandorum ratione plurimae hellenismi notae desiderantur, id quod Wilamowitzius maxime videtur in animo habuisse, cum de huius mimi lingua scriberet:[6])

---

[1]) cf. Philipp Weber, Entwickelungsgeschichte der Absichtssätze, Schanz. Beiträge (1884) 2, 91—3.

[2]) Chariton (apud Hercherum) p. 121, 14 sq. Babrius 6, 9.

[3]) Leipziger Studien X, 1887, p. 309 sqq.

[4]) Franz Krebs, Die Praepositionen bei Polybius. Schanz. Beiträge 1, 1—147.

[5]) Krebs p. 110: Während die guten attischen Prosaschriftsteller bei den Verbis des Einteilens in den meisten Fällen einen doppelten Akkusativ setzen, sagt Polybius durchgängig εἰς δύο(τρία) μέρη διαιρεῖν.

[6]) Die Kultur der Gegenwart, ed. Hinneberg. 1905, I 8. p. 125.

im übrigen ist sie für ihre zeit gar nicht ungebildet, nichts von Patois. Plane enim desunt insignes formae velut in-μα exeuntes, cum ἀνάθημα (43. 217) veteribus notum fuerit. Sed occurrit κυνήγιον (197), quam formam a veteris Atthidis plurimum abhorrere ingenio Lobeckius ad Phrynichum p. 517—9 affirmat; Attici enim dicebant κυνηγία. Desunt deinde parasyntheta, ut id quod apud Polybium invenimus ὀχυροποιέομαι aliaque, desunt denique decomposita excepto verbo προςανατίθεσθαι (164), quae compositio omnium minime notabilis est, cum iam apud Xenophontem (Mem. 2, 1, 8) προςανατίθεσθαι legatur. Contraria autem verbi simplicis pro composito ponendi ratio, quam ipsam quoque, etsi non tantopere quantopere componendi studium in hellenismo a viris doctis quod sciam notata est, in sermone vulgari tritam esse ex exemplis de Anzii dissertatione[1]) sumendis elucet (p. 271 ζωνύνναι, καλύπτειν, p. 273 νίζειν, cf. Thom. Mag. p. 3, 16 ed. Ritschl. ἀπόνιπτρον καὶ ἀπονίψασθαι, οὐ νίμμα οὐδὲ νίψασθαι, ὡς ὁ πολὺς λέγει, p. 327 ἐτάζειν), verbis ἀντάω (128) et σύρω (142) probatur. Neque enim alias ἀντᾶν invenitur nisi apud Herodotum et poetas, cum ἀπ-προς-συναντᾶν saepissime occurrant, neque σύρειν legitur exceptis poetis Theocrito (velut 2, 73) et Lycophrone (217) ante Plutarchum (velut Mor. 5 F, 977 F), Novum Testamentum (velut Act. 8, 3. 14, 19. 17, 6) aliosque. Deminutivorum deinde studium e χοιρίδιον (38) et μερίδιον (59), quod Arr. Epict. 2, 22, 23 tantum occurrit, elucet, adiectivorum vero pro substantivis positorum ratio e vocabulo insigni τοξικὰ (198) pro τόξα, quod haud scio an cum πεζικὸς quoque pro πεζὸς conferri possit. Activum denique et medium commutantur[2]) in vocabulo λακτίζομαι (65), fortasse etiam in formis ἀνάπαυσον (151) et ἐπαρᾶσαι (133), nisi forte cum Britannis, qui ἀπαρᾶσ[θ]αι scribunt, calami lapsum subesse suspicari volu-

[1]) Henricus Anz, Subsidia ad cognoscendum Graecorum sermonem vulgarem e Pentateuchi versione Alexandrina repetita. Dissertationes Halenses, 1894, XII p. 266 sqq.

[2]) Hatzidakis, Einl. in die neugriech. Gramm., 1892, p. 194—200.

mus. In versibus autem 116 et 196, praesertim cum in v. 169 ἰδὲ legamus, ἰδού ut in v. 148 et 172, non ἰδοῦ scribendum esse censeo, ne ipsi mimographo eum soloecismum imponamus, quem Lucianus in Pseudosophista[1]) vituperat.

Hactenus de formandi ratione. In ipsis autem vocabulis quam maxime conspicua est magna copia vocabulorum eorumque persaepe rarorum vel alias nusquam inventorum. Quorum e numero primum ea segregemus, quae ab ipsis scriptoribus videntur esse ficta. Quo loco Laberium quoque in mimis oppido quam praelicenter verba finxisse Gellium (XVI 7) tradere recordandum est. Ae de Ψώλιχος hac in re dubitari non licere supra (p. 5 sq.) intelleximus. Neque graviter ferimus, quod Gellius eodem quem modo commemoravimus loco verbum quoddam a Laberio fictum afferat, cuius significatio uni e nostris verbis fictis persimilis est: manuari pro furari, id quod concinit cum μαλῶσαι pro furari hac in papyro invento (43). Quod vocabulum cum forma ἐμάλωσαν, quam in sexti decimi saeculi scriptis (in Manuel Malaxi Chronicorum MS p. 482, in Fabulis Aesopi Barbarograecis p. 20) legi et de μαλώνειν derivari apud Ducangium videmus, non cohaerere apparet: μαλώνειν enim, ut id quod nostrae aetatis Graeci exhibent μαλόνειν, significat contendere, reprehendere (réprimander, reprendre, gronder, gourmander, quereller, tancer[2]). Utrum vero cum Grenfellio et Huntio a μάλη (ὑπὸ μάλης) an cum Crusio a [α]μαλοῖ (Hesychius: ἀμαλλοῖ ἀφανίζει) deducendum sit incertum est. Nam ut de μάλη id derivemus, cum e substantivis in -α vel -η exeuntibus verba in -όω exeuntia fingi posse ῥίζα-ῥιζόω, πάχνη παχνόω[3]) ostendant, Alciphro perducere nos potest (3, 46, 3), apud quem legimus: τὸ χειρόμακτρον ὑπὸ μάλης λαβὼν ἐξηλλόμην. Ad Crusii opinionem rursus quadrat, quod verba, quae ab ἀμ- incipiunt,

[1]) Pseudos. 7: τῷ δὲ ἰδοῦ ἐπὶ τοῦ ἰδὲ χρωμένου τινὸς . . . .

[2]) Λεξικὸν Ἑλληνογαλλικὸν συνταχθὲν καὶ ἐκδοθὲν ὑπὸ Ἀγγέλου Βλάχου, 1897, p. 550.

[3]) Kuehner-Blaß^3 1, 2, 260 sq.

facile litteram *α* detrudunt aphaeresi quadam usa, nisi forte cum Leone Meyero[1]) hanc *α* postea ortam esse putare malumus. Quem si sequimur, *μαλῶσαι* repetendum est a stirpe mal, quae in vocabulo *μαλακός* aliisque apparet, ita ut non tam recentis originis id esse eluceat. Etenim hoc vel per se manifestum est neque manuari, id quod Gellius putat, neque hoc vocabulum ex ipsius mimographi ingenio fluxisse, sed unum esse ex artis vocabulis furum, praesertim cum haec fabula acta sit Oxyrhynchi in Aegyptiorum oppido, quorum furta paene proverbiorum locum obtinerent.

Saepissime enim nobis occurrent vocabula e vitae cotidianae usu sumpta, id quod huic generi litterarum accomodatissimum est, atque ut furum lexicum modo desideravimus, nunc technicorum et medicorum et rusticorum indices plurima nobis praebebunt. Neque in mentem nobis veniet si quod vocabulum huius generis velut apud Aristophanem solum legimus ex illo re vera depromptum id esse opinari, sed utrumque ex eodem fonte perenni hausisse malumus arbitrari: e sermone cotidiano. Atque re vera verbum aliquod diu in litteris desiderari et postea saepissime teri posse *διυλίζειν* (154) demonstrat, quippe quod, ut Cratini (fr. 354 K.) *ὕλιζε τὰς ῥῖνας*, cui *ἔκλυζε* subesse verisimile est, praetermittamus, Archytas qui fertur (Stob. Flor. ed. Meinek. I pag. 30) et Amos (6, 6), postea Dioscorides demum primi p. Chr. n. saeculi scriptor (mat. med. 2, 86. 5, 82), Novum Testamentum (Matth. 23, 24), Plutarchus (Mor. 692 D) aliique multi exhibeant. E Phrynicho autem, qui exhibet (Lob. p. 303, Ruth. p. 360): *Ὑλιστήρ· τρύγοιπον τοῦτο καλοῦσιν οἱ δοκίμως διαλεγόμενοι*, concludere licet hoc vocabulum vulgare putatum esse. Jtemque *ἀροτριᾶν* (117) Atticistis invisum fuisse e Moeride elucet, qui in p. 22: *Ἀροῦν*, inquit, *Ἀττικῶς. ἀροτριᾶν Ἑλληνικῶς*. Quo autem et veteres (Herodotus, Hippocr. *π. δ. ὀξ.* 7, Plato) et posteriores (Plutarchus) utebantur eiusdem significationis atque *διυλίζειν* vocabulo *διηθεῖν*, invenitur in versu 161. *Φιμοῦν* deinde, quod in v. 122 camo aliquem inserere significat, similem vel eandem significationem non exhibet nisi apud Aristophanem (nub. 592) et in Deuteronomio (25, 4; cf. Paulum ad Tim. 1, 5, 18), cuius rei causam Kennedyus[1]) recte afferre mihi videtur: The reason probably is that it was a word of common life, not considered admissible into literary works. Apud eundem qui *φιμοῦν* habuit Aristophanem praeter alios aliud tormentum commemoratur, *ξύλα* (186); neque enim minus comoedi quam mimographi intererat ad servorum vitam sortemque descendere. Neque aliter *ὀρεοφύλακας* (132. 141) de vita assumptos esse Rostowzewius[2]) nuperrime ostendit: *ὀρεοφύλακες* enim vel saltuarii latifundiorum custodes appellabantur. Difficilior autem est disputatio de verbo *πύνδαξ* (102), quod apud Sophoclem (fr. 290 N.; Hesych. s. tit. *ἀπυνδάκωτος*; Eustath. ad Jl. p. 870, 28) gladii capulum, apud Aristophanem (fr. 270 K., Pollux 10, 79) et Pherecratem (fr. 105 K., Pollux l. c.) et Theophrastum (char. 30, 11) vasis fundum, apud Aristotelem qui fertur (probl. 25, 2 p. A 938 a 13) operculum significat. Inter quos auctores nemo est qui recentioribus temporibus floruerit. Quo quamquam id accedit, quod in versibus hoc vocabulum invenitur, tamen id quoque ex usu vitaque communi mutuatum esse scriptorem putaverim, praesertim cum significationis inconstantia, quae e Problematum loco et, ut unum appellem, Aristophane elucet, nos perducat, ut simili modo quo *πῶμα*, quod et operculi et potionis vim habet, hoc vocabulum de parte ad totum delatum idem velle quod poculum opinemur.

Ac de *διυλίζειν* et *διηθεῖν* supra (pag. 14) dictum est. Inter alia autem vocabula ad vinum pertinentia *οἰνόμελι* (161. 172) primum legitur apud Polybium (12, 2, 7), in Geoponicis (VIII 25. 26) accuratius describitur. *τρυγία* (55) deinde, cum *ὁ τρυγίας* iam in oraculo quodam quod Aristoteli notum erat inveniatur (Plut. Mor. 295 E) et vinum faeculentum significet,

---

1) Leo Meyer, Gr. Et. 1, 223.

1) Kennedy, Sources of new testament Greek, 1895, p. 41 sq.

2) M. Rostowzew, Die Domaenenpolizei in dem roemischen Kaiserreiche, Philol. 44, 297, imprimis p. 305 sq.

ιρυγία velut in Geop. VII 12, 7, XX 43 et in Lycophronis scholio (ad. v. 677) legitur, ubi non aliter atque hic faecis vim habet.

Ἀποσφηνόω (17) vero ad res et mechanicas et rusticas et medicas nos perducit. Primum enim legitur in Philonis (§ 58, p. 76, 25) et in Heronis (§ 5, p. 123) Belopoeicis, quorum altera tertio, altera[3]) secundo saeculo exeunte vel primo ineunte composita sunt; iterum invenitur octo vel tredecim saeculis post apud Paulum Aeginetam (ed. Briau. 6, 28) et Eustathium (ad Dion. Per. 369). Simplex autem post Vetus Testamentum (Judic. 3, 23. Neh. 7, 3) et Polybium (ed. Schweighaeuser. 27, 9, 4, ed. Buettner-Wobst. 27, 11, 4) apud eundem Heronem mechanicum (Belopoeic. § 28, p. 139), apud Galenum medicum (ed. Chart. X 388, ed. Kuehn, XI p. 136, 7), in Geoponicis (XVII 19, 4; IX 10, 4) aliisque locis occurrit. Suidas vero sub titulo *Τιμαγένης* simili modo atque hic mimographus eo utitur cum dicat: *ἐτελεύτησε δὲ ἐν Ἀλβάνῳ ἐμέσαι βουληθεὶς καὶ σφηνωθείς*, nisi quod huic guttur, stupido ὁ πρωκτὸς obturatus est.

Neque aliter atque de his verbis e vitae usu laboreque desumptis de verbis obscenis et probrosis, quae his in mimis inveniri mirari non licet, iudicandum est. Qua in re liceat mihi afferre locum e Grimmii thesauro Germanico (III 1335) desumptum: .... In solchen wörtern zeigt sich die urverwandtschaft äußerst dauerhaft und es wird noch vieles anzugeben sein, wenn die übel angebrachte enthaltsamkeit der wortsammler nicht das geschäft erschwerte. Auch das finn. pieru, estn. peer crepitus und finn. pierrä, estn. peretama pedere treffen zu. Antiquissima igitur verba sunt πέρδεσθαι (22), quod saepius, et πορδή (1. 2. etc.), quod exceptis scholiis (Stephanus omnino nullum locum exhibet nisi schol. Ar. nub. 392!) non inveni nisi semel apud Aristophanem (nub. 394), in eo iocose dicto, quod Strabo XIV p. 675 A exhibet, apud Athenaeum VIII p. 408a, ubi Meinekius (Com. Graec. fr. IV

---

[1]) Rudolphus Meier, De Heronis aetate, Diss. Lips. 1905.

p. 607) comici anonymi versum restituere conatur. Itemque βινεῖν vel βεινεῖν (108) apud Aristophanem solum aliosque comicos, huibus Ox. Pap. I 11, 1 addendum est, invenitur. *Πρωκτὸς* (6. 17) deinde, si comicos locumque incertum Aeschinis (in Ctesiphontem 166) et lexica praetermittimus, proverbium solum, id quod ad nostram sententiam quadrat, in Luciani Lucio (c. 56) commemoratum exhibet, itemque ψωλὴ exceptis Aristophane grammaticisque non legitur nisi in fonte vulgarissimo: in defixionum tabellis.[1]) Quo loco recordandum est verborum quorundam obscenorum, quae quamquam in vicis nostris nemo puer non novit litteris tamen nusquam expressa sunt. Neque quod Eustathius ad. Jl. 468, 33 sq. et 746, 16 sq. ex Aristophanis Ranis (430) affert *κύσθος*[2]) e vetere poeta sumere opus erat, sed cum aliis quos duobus his locis congerit vel Ionismis vel Hellenismis[3]) hoc quoque certe in viis audire potuit (cf. v. 118 *κύσθος*).

Haec de verbis obscenis. Quibus similia sunt verba contumeliosa. Inter quae quater invenitur μαστιγίας (110. 137 154. 155), quod apud comicos, unde in Plautum (velut Capt. 600) et Terentium (Ad. 781), irrepsit, et, quamvis raro, apud alios quoque scriptores occurrit. Unde vulgare id esse intellegimus, id quod ex ipsa etymologia elucet. Neque de vocabulo ὑπερήφανος[4]) (139) dubitare licet, quippe quod inde

---

[1]) Defixionum tabellae Atticae, ed. Ricardus Wuensch, 1897, tab. 77 b. 1. 5.

[2]) ad Il. 746, 16 sqq. ... *οὕτω καὶ χύτρα κύθρα λέγεται, καὶ ἡ παρὰ τῷ κωμικῷ δὲ κύσθου ἢ κύσου λεοντῆ ὁμοιόντι νοεῖ. ἔστι δὲ μέχρι καὶ νῦν ἀκοῦσαι πολλοὺς τῶν ἀγροίκων, οὕτω καὶ τὰ ἀκάνθια ἀχάντια λέγοντας. ὅτι δὲ τὸν κύσθον καὶ κύσον ἔλεγον ....*

[3]) ad Il. 468, 32 .... *δηλοῦσι δὲ καὶ πολλὰ τῶν κοινῶν καὶ ἰδιωτικῶν. τὰ γοῦν ἀκάνθια ἀχάντιά τινές φασιν ἐῴων ἀνδρῶν, καὶ ἡ τοῦ κύσθου δὲ λεοντῆ παρὰ τῷ κωμικῷ εἰς τοιοῦτον πίπτει Ἰωνισμόν, εἴπερ ἀπὸ τοῦ κέχυται γίνεται διὰ τὴν ἐκεῖθεν κατὰ φύσιν χύσιν.*

[4]) Verbum ὑπερηφανεῖν, quod e veteribus soli Homerus (Λ 694) et Polybius (velut 6, 10, 8) exhibent, poeticum esse Crelingius (De usu poeticorum et dialecticorum vocabulorum apud scriptores Graecos seriores ..., Diss. Traiecti ad Rhenum 1886 p. 62) opinatur. Sed vulgare erat, quod praeter alios qui eo utuntur (Nehemia 9, 10. Josephus 2, 4, 5,

a Xenophonte (mem. 1, 2, 25) et Platone (Menon 90 A) permulti prosae scriptores exhibeant, ut Novi Testamenti auctores (ad Rom. 1, 30, Tim. 2, 3, 2, etc.), Josephus, Plutarchus (cf. etiam Ox. Pap. III 530,28 ἀσπάζου . . . . Λεοντᾶν τὸν ὑπερήφανον καὶ τοὺς αὐτοῦ). Neque aliter de ἄλαστος (60) iudicaverim, quod apud Homerum, Hesiodum, tragicos saepius invenitur, posterioribus autem temporibus apud Plutarchum solum (Mor. 347 B[1]) ἄλαστον ἀγῶνα) et Tryphiodorum sexti saeculi poetam epicum. Ac vocabula, quae antiquitus propria fuissent poetarum, ex eorum sermone irrepsisse posteriore aetate in κοινῶν communem usum Glaserus[2]) verbi probrosi νήπιος exemplo usus ostendit. Neque tamen hac in re satis certus sum, praesertim cum hoc vocabulum cum verbo βάσκειν coniunctum sit, quod in vetere poesi tantum legitur et apud Aristophanem nusquam invenitur nisi in Thesmophoriazusis (783), ubi Euripidis Palamedes parodia exagitatur. Sed hac de re postea (p. 47) coniecturam proferre mihi liceat. Καταστροφεὺς (101) denique in glossis (Heraeus C Gl VII 555: καταστροφεύς· eversor, tergiversator) et apud Lydum (de mag. 3, 69) occurrit.

Vulgaria ergo ea vocabula esse excepto fortasse βάσκ' ἄλαστε (60) apparet. Itaque alia quoque vocabula de sermone cotidiano sumpta magnumque sermonis cotidiani fontem apertum esse existimare licet. Neque tamen ea quae hoc in mimo inveniuntur vocabula ad gravissimam vulgaris sermonis originis quaestionem disserendam adiumento esse poterunt, nisi quis copiosiore scriptore, apud quem vocabula ratione quadam commixta esse liceat exspectare, fundamenti quasi loco utetur. Quod cum munus nostrum esse nequeat, missam

---

apud Bened. Nieseum 2 § 54) Pollux docet, cum (9, 146) scribat: ἡ ὑπερηφανία τὸ μὲν πρᾶγμα ἔστι, τὸ δὲ ῥῆμα τὸ ὑπερηφανεῖν οὐκ ἐπαινῶ, formaque ὑπερηφανεύομαι (Hatzidakis, Neugr. Gr. p. 200), quippe quae medio vulgari utatur.

[1]) ubi Thucydidem (7, 71) plerumque sequitur.

[2]) Otto Glaser, De ratione, quae intercedit inter sermonem Polybii et eum, qui in tit. saec. III, II, I apparet, Diss. Gissae 1894, p. 62.

faciamus, nisi occasio ipsa offeretur, hanc dialectorum[1]) quaestionem, et prioris aetatis vocabulorum ea tantum tractemus, quae cum in versibus inveniantur poeticumque sonum ostentent poetica esse primo obtutu videantur.

1) ἄπλετος (88). Quod Atticum non esse cum inde apparet, quod neque in comoedia neque apud oratores Atticos occurrit, tum Moeris (ed. Pierson. p. 24): Ἄπλατον, inquit, Ἀττικῶς, ἄπλετον Ἑλληνικῶς. Neque tamen poeticum est, id quod Crelingius (p. 9 sq.) credit, cui sententiae iam Wesselingius (ad Diod. II 49, in secundae editionis alterius voluminis pag. 459) repugnat, sed Ionicum, cum Herodotus decies eo utatur. Atque ut in Pindarum (Isthm. 3, 29) semel irrepsit, ita apud Xenophontem (An. 4, 4, 11). Platonem, Aristotelem, quos saepe talibus in rebus coniunctos videmus, occurrit et in LXX (Macc. 3, 4, 11) semel, apud Polybium (velut 1, 50, 3) quater, apud Plutarchum duodecies invenitur ac ne ab Atticistis quidem plane alienum est[2]). Itaque quamquam in versibus (88) occurrit, in sermone vulgari id floruisse verisimile est.

2) πρόμος (90) invenitur apud Homerum, unde in Apollonii Rhodii Argonautica (2, 21 etc.) influxit, et apud tragicos (Aesch. Ag. 200. 410 etc; Soph. Oed. Col. 884. Oed. r. 661; Eur. Phoen. 1244 etc.) legitur. Occurrit deinde inter tragica verba, quae Euripidis tragoedi servus in Aristophanis Thesmophoriazusis (50) pronuntiat, et apud Cratinum (I p. 11 K.) a Mureto pro πρώτῳ conicitur, cum Kockius comicis in trimetris hoc vocabulum non usurpari admoneat. Itaque hoc verbum in vivo sermone mortuum esse et a mimographo

---

[1]) Velut in v. προςδεῖν (124), quod quamvis dubitabundus poeticum esse putat, Crelingius (p. 55) annotat: „Hoc compositum τοῦ δεῖν (= ligo) ante Diodorum tantum apud Ionicos scriptores occurrit, cf Herod. VI, 119, [Hippocr.] . . . 497 lin. 26, II de morbis pg. 206 lin. 19. — Diodorus XVII 41 § 8". At Ionicum, si composito tantam vim attribuere volumus, et vulgare est et apud Plutarchum (Pericles 28, 2), Josephum (5, 2, 7 § 135), Lucianum (Luc. 38), schol. Apoll. Rhod. (ad 4, 1090) Babrium (11, 3) occurrit.

[2]) Wilhelm Schmid, Der Atticismus in seinen Hauptvertretern, 1896, IV 2 p. 72.

artificiose in versus illos Sotadeos, quos quamquam Sotadei nunquam in tragoedia adhibentur tragicum stilum sonumque spirare voluit, e tragoedia sumptum esse puto.

3) πρόσπολος (106), quod apud Herodotum (2,63) in πρόπολος plerumque mutatur, primum apud Bacchylidem (14, 2 Bl.), saepissime apud tragicos (Aesch. Sept. 574. Eum. 1024; Soph. Ai. 539. 541. 544. El. 23. 78. etc.; Eur. Or. 106. 629 etc.) occurrit. Invenitur denique in versu Androsphingis ungui inscripto (C. I. G. 4700), in Nicephori (Progymnasmata, Walz. Rh. G. 1 p. 496, 13) narratione tragica, apud Nicetam Acominatum, duodecimi et tertii decimi saeculi scriptorem (C. Script. Hist. Byz. d. 759, 9). Itaque quamquam unde Nicetas hoc verbum sibi assumpserit ignoro, tamen hoc quoque verbum de tragoedia mutuatum esse mimographum existimaverim.

Sed haec de verbis poeticis. Posteriorum autem vocabulorum primum βαρέω (96; cf. Anz. p. 266—8) tractabimus, quod Atticistis suspectum fuisse e scholio Thucydideo (2, 16): Καλῶς εἶπεν ἐβαρύνοντο· οὐ δεῖ γὰρ λέγειν ὅτι ἐβαροῦντο . . . ., ἀλλὰ βαρύνομαι . . . . (cf. Thom. Mag., ed. Ritschl. p. 62, 15 sqq., Lucian. Pseudosoph. 7) elucet. Primum apud Homerum talis forma invenitur (γ 139, τ 122 βεβαρηότες), et quae Plato (symp. p. 203 B) et [Aristoteles] (probl. XXX, p. 953 b 12) exhibent, inde assumpta videntur esse. In alias autem formas, cum Hippocrates excepto loco incerto (ed. Chart. VII 578, ed. Kuehn XXII p. 284, 9) semper βαρύνειν exhibeat, inde a Vetere Testamento (Ex. 7, 14) videtur haec ratio influxisse. Occurrit deinde in Novo Testamento septies (velut Cor. 2, 1, 8. Mt. 26, 43), apud Plutarchum aliosque multos, in titulis (CIG 5853, 15—174 p. Chr.), in papyris (Ox. Pp. 3 no. 525, 3; 1 no. 126, 8 βαρέσαι!). Teritur denique in nostrae aetatis sermone Graeco. Κυνήγιον (197) deinde (cf. pag. 18) apud Sirachium (13, 19) et Polybium (10, 25, 4, B-W. 10, 22, 4) primum occurrit. Idem Polybius praeter οἰνόμελι (pag. 15.) καταρχή (213) primus exhibet (2, 12, 8; 23, 2, 14, B-W. 22, 4, 14), quod occurrit apud Strabonem, Galenum, alios. Apud

Diodorum autem προςανατίθεσθαι (164) consulendi (17, 116)' in Novo Testamento eandem quam hic vim exhibet: communicandi aliquid cum aliquo, cf. Paul. ad Gal. 2, 6: ἐμοὶ γὰρ οἱ δοκοῦντες οὐδὲν προςανέθεντο (cf. Gal. 1, 16. Lucian. Jup. trag. 1, Suidas s. νεοττός — num Chrysippus?), id quod saepius ἀνατίθεσθαι significat. Plutarchus vero, quamquam maximam omnium scriptorum copiam verborum quae his in mimis insunt complectitur, nihil novi affert. Καλήμερος (67) occurrit in Anthologia Palatina (9, 508), θεαστικός apud ecclesiasticos demum scriptores, cum iam Plato (de leg. III, p. 682 A) ἐνθεαστικὸς et Lucianus (amor. 14) aliique ἐνθεαστικῶς exhibeant.

Plane novum est ἐπιπίπρημι (134), quod Herwerdeni Appendici addendum erit. Incertum autem est, an Britanni eo quod in v. 127 invenitur vocabulo σφαγιάσαντες usi in v. 143 sq. ἀποσφα-γιάσαντες non recte suppleverint, cum ἀποσφαγιάζειν nusquam occurrat, ἀποσφά-ζειν saepissime. Alia semel dicta sunt ἱερόθρους (90), quod cum λιγύθρους (Ox. Pap. III p. 55) et ἄθρους componi potest, πανόληπτος (173), cuius similitudo inest in verbis μουσόληπτος, νυμφόληπτος, φοιβόληπτος. (cf. Herwerdeni Appendicem p. 162), μερίδιον (59).

Nova denique significatio, si τοξικά (p. 19) praetermittimus, videtur inesse in v. ἔρις (147. 151), quod aemulationis, non rixae vim habere puto. Quod proferre non auderem, nisi idem vocabulum in Fragmento Erotico (Ἀποκεκλειμένη) appareret, ubi ζῆλος (v. 13. 17) et ζηλοτυπεῖν (v. 18) his verbis praecedunt: γίνωσχ' ὅτι θυμὸν ἀνίκητον ἔχω, ὅταν ἔρις λάβῃ με (v. 21 sq.).

In praepositionibus autem polyprothesia quae dicitur commemoranda est, quae his temporibus in sermone vulgari florebat.[1]) Invenimus enim ἀπό (125), [διά c. acc. (7)?], εἰς (40. 59. 210), ἐν (6. 52. 118), ἐπί c. acc. (120. 163. 186), c. dat. (135), κατά c. acc. (123. 176), μετά c. gen. (44. 56. 220. 127. 161), παρά c. gen. (45. 206), c. acc. (208), περί c. gen. (157. 164. 175), πρός c. acc. (90. 128. 135. 169), σύν (119).

[1]) Tycho Mommsen, Beiträge . . griechischen Praepositionen, 1895, p. 18 sq.

Quibus praepositionibus recte usos esse mimographos supra (pag. 11) commemoravimus. Neque in adverbiis nimia confusio nobis occurrit.

Nam cum *ἔνδον* semper usque ad Aeliani tempora[1]) in statu designando usurpatum sit, *εἴσω* iam prioribus temporibus et directionem et statum significat, ita ut Aristarchus[2]) iam dubitationibus occurrat. Itaque non mirum est alterum scribam, cum is qui rectam papyri partem scripsit recte exhibeat (104) *ἔνδον ἔστε πάντες; ἔνδον* neque usquam peccet (cf. *δεῦρο* in v. 97. 98. 100), in v. 140 *ἔσω ἐστί*, in v. 128 sq. *ἔνδον εἰςελεύσομαι* exhibere. Quod autem in v. 128 *πρός με ἔσω ἀντᾶτε* scribit, a Krebsio (p. 107) defendendum esse puto, qui de Polybio dicit: Weiter finden wir *εἰς* . . . . bei verschiedenen anderen Ausdruecken allgemeiner Art, so dass es schließlich geradezu in die Bedeutung von *ἐν* uebergeht; dies ist der Fall bei *ἀπαντᾶν* 18, 7, 7. 29, 4, 4. 31, 10, 2. 22, 6 etc. At hoc in vocabulo simili modo atque in vocabulis *ἀθροίζεσθαι* et *συλλέγεσθαι* alius sermo alia spectandi ratione utitur, cf. [Demosthenem] 33, 18. 18, 157, Isocratem Trapezit. 15. In verbo autem *χωρίζεσθαι* (159) non tantopere veterem separandi vim videtur neglexisse quantopere alii[3]): exhibet enim *πού ποτε χωρίσεσθαι. Ὧδε* denique, quod postea adverbium *ἐνθάδε* plane demovit (Hatzidakis, Neugr. Gramm. p. 210), quater directionem significat: 153 sq. *ὧδε ἄνω συνείςελθε*, 155 *ὧδε πάρελθε*, 156 *ὧδε στρέφου*, 114 *δὸς ὧδε τὰς μάστιγας.*

Nunc vero ad barbarorum qui dicitur sermonem nos vertamus. Quem non omnino fictum esse, ut alia omittamus, vel inde apparet, quod in v. 13 *οδωσα* in *αδινα* mutatum est et in v. 14 *ξ* et in v. 16 *ωσαδω* deleta sunt; qua enim de causa hae emendationes factae essent, si ex ipsorum scribarum libero arbitrio hae syllabae fluxissent? Sed duae sen-

---

[1]) Lobeck, Phrynichus p. 128.

[2]) K. Lehrs, De Aristarchi studiis Homericis^2 p. 134—7.

[3]) Glaser p. 38: *χωρίζεσθαι ἀπό τινος* adeo omisit propriam vim apud Polybium, ut coniungatur cum praepositione *εἰς* (5, 2, 8. Pap. Lug. D 15. Pap. Louv. 15, 25. 22, 14).

tentiae obstant. Hultzschius[1]) enim Griersone praeeunte (Ox. Pap. III p. 55) verba Indica atque eius dialecti qua Canarenses uterentur esse contendit locosque nonnullos tam feliciter explanavit, ut etiam Blassio, qui initio valde dubitaverat, persuaderet[2]). Quem horum Indicorumque verborum consensum non fortuitum esse inde elucet, quod sententiae ipsae non solum cum tota fabula, sed etiam cum verbis Graecis, quibus verba barbarica interdum vertuntur, optime congruunt. Sed Crusius in quarta Herondae mimiamborum editione (p. 105 sq.) semigraeca haec verba esse ratus in Graeca vocabula nonnullos versus transcripsit, id quod ni fallor item ei contigit. Sed cum sententiam suam Hultzschio oppositam esse putare videatur (cf. ad versus 61. 83), unam sententiam alteri non repugnare mihi demonstrandum esse puto. Ac primum quidem in eos locos, quos Crusius tractavit, frustra operam se impendisse Hultzschium confiteri (Herm. 39 p. 308), Crusium autem iis locis, quos Hultzchius tractavit, nihil proficere commemorandum est. Quis enim, qui Hultzschii interpretationem cognoverit, in v. 83 - 85 *ουενι* = veni esse aut in v. 65 stupidum Cotti gigantis memorem esse putabit? Mirantur deinde Grenfellius et Huntius (Ox. Pap. III p. 42) stupidum modo barbarorum sermonis ignarum esse (58 *τί λέγουσι;* 66 *τί λέγουσι;* 92 sq. *τί πάλι λέγουσι;*), modo ipsum eorum sermone uti (75. 77? 79 sq.). Neque casu evenire puto, ut eidem loci, quos stupidus non intellegit, ab Hultzchio Indicae linguae defensore, eidem autem, quos stupidus intellegere videtur, a Crusio explicentur, qui semigraeca verba subesse putet. Sed ut brevis sim: et Indica et semigraeca verba hoc in mimo inesse verisimillimum est. Atque versus 68—80 Graecarum, versus 58—67, 81—93 aliosque

---

[1]) Hermes 39 (1904) p. 307 sqq. Journal of the Royal Asiatic Society 1904 p. 399 sqq.

[2]) Blaß, Literarisches Centralblatt 1903 p. 1478: Das ist noch nicht überzeugend; vielleicht entdeckt noch jemand hier eine alte Negersprache. Archiv f. Papyrusforschung III (1904) p. 280: E. Hultzsch . . mit voller Sicherheit, wie es scheint . . . .

fere omnes, qui in censum venire possunt, Indicarum rerum studiosis commendandos esse puto. Neque tamen mihi ipsi contigit, ut in v. 68—80 multa exponerem. Sed perpauca quae enucleavi in ipsa interpretatione proferam, ubi alia quoque quae meam opinionem adiuvare possint additurum me esse spero.

Pars II.

De hypothesi.

Caput 1.

De personis argumentoque fabulae.

Proficiscendum esse censeo ex iis rebus, quas Crusius in academia Monacensi[1]) protulit. Affine enim huius mimi argumentum esse dixit fabulis Euripideis quae *Ἑλένη*, *Κύκλωψ*, *Ἰφιγένεια ἐν Ταύροις* inscribuntur. Ac commune quidem quattuor his fabulis est, quod in iis homines in alienis oris maritimis vi retenti per dolum liberantur. Quo accedit, quod Helenae regio Aegyptus est, ubi hic quoque mimus in scaenam prodiit, et in v. 1169 Theoclymenus, ut barbarorum mulieres (197), de venatu revertitur. In Cyclope deinde Polyphemus eodem modo quo rex Indorum obtunditur vino, cuius eximia vis non aliter declaratur atque in mimo:

Cycl. 123 sq. *Ὀδ. Βρομίου δὲ πῶμ᾽ ἔχουσιν, ἀμπέλου ῥοάς;*
Σει. ἥκιστα· τοιγὰρ ἄχορον οἰκοῦσι χθόνα.
Mim. 52: *μωρέ, ἐν τούτοις τοῖς τόποις οἶνος οὐκ ὤνειος.*

[1]) Sitzungsberichte der Koenigl. Bayer. Akademie, phil. hist. Klasse, 1904 p. 357 sq. Cf. The Athenaeum, 1903, p. 540. Romagnoli, Rivista d'Italia 1904, p. 500. Beilage zur Allgemeinen Zeitung, München, 18. Jan. 1904, p. 100

Neque tamen hunc locum de Cyclope derivandum esse puto, cum ex ipsis rebus id fluxisse verisimilius videatur: re enim vera India Bacchi patria vinum non fert[1]) perpaucis regionibus exceptis, quod veteribus quoque notum fuisse velut e Strabone elucet (15, 22, p. 694): *Ἐν δὲ τῇ Μουσικανοῦ καὶ σῖτον αὐτοφυῆ λέγει* (Aristobulus) *πυρῷ παραπλήσιον καὶ ἄμπελον, ὥστ᾽ οἰνοφορεῖν, τῶν ἄλλων ἄοινον λεγόντων τὴν Ἰνδικήν.* Obtundendi vero ratio ipsa tritior certe fuit quam ut a satyris eam mutuari opus esset. Velut apud Apuleium (Met. 7, 12) occurrit, ubi virgini liberatae fortuito Charite nomen est (nomen *Χαρίτιον* quod viderim non invenitur nisi CIA 2, 2817: *Χαρίτιον Διοκλέους Ἀντιόχισσα*, et CIG 3394 *Χαριτιν*; *Χαρίτιος* CIG 3, 4094, 10).

Neque magis aliae quas adhuc commemoravimus similitudines ad artiorem harum fabularum coniunctionem demonstrandam satis valere mihi videntur. Certius autem iudicare licet de Iphigenia.

Qua in re nonnulla vocabula versusque inter se similes minoris momenti sunt, ut

Mim. 47 sq. *τὰ τῆς θεοῦ* — Iph. 467. 1220
Mim. 106. *πρό(σπολον* — Iph. 63. 638. 778. 1205. 1335.
Mim. 106. *εὐμενής, δέσποινα, γεῖνον· σῷζε τὴν σὴν πρόσπολον.*
Iph. 1398 sq. *ὦ Λητοῦς κόρη,*
σῶσόν με τὴν σὴν ἱέρεαν πρὸς Ἑλλάδα.
Mim. 226 sq. *μόν(ον δὲ τὸ πρόσωπον τοῦ πατρὸς θεάσασθ(αι*
Iph. 1013 sqq. Orestes: *πῶς ἂν Λοξίας ἐθέσπισε ....*
καὶ σὸν (Iphigeniae) *πρόσωπον εἰσιδεῖν;*[2])

[1]) Christian Lassen, Indische Altertumskunde, 1874², II p. 682: Es ist bekannt, daß in Indien im Allgemeinen die Rebe nicht gedeiht, nur von Shikârpur am Indus wird dieser erwähnt (T. Postans, Personal Observ. on Sindh etc. p. 101).

[2]) Hic consensus gravioris momenti esse Crusio videtur (cf. Crus. ad v. 226). At tritissimam hanc dicendi rationem esse e Novo Testamento elucet (*ὁρᾶν τὸ πρόσωπόν τινος* Act. 20, 25. Col. 2, 1. *ἰδεῖν* Thess.

Talia enim partim fortuita sunt, partim ipsa argumentorum similitudine efficiuntur. Unde ad graviora procedamus. Nam protagonista, ut hoc vocabulo utar, in utraque fabula virgo est, quae procul a patria in barbarorum finibus Dianae sacerdotio (188 Σελήνη, 106 πρόσπολον) fungitur. Deinde ut Iphigeniam frater Orestes, ita Charitium frater (98) γ domum reducit, neque ratio reducendi dissimilis est: uterque enim navigium in litore vel alto reconditum habet (193--95. 99). Tum ut Orestem Pylades, ita fratrem γ stupidus comitatur, id quod inde apparet, quod β, cum, ni fallimur (pag. 44), in v. 17—19 nausea affectum se esse dicat, modo mare traiecisse necesse est. Neque Pyladem in stupidum mutatum esse mirum est: sunt enim plerumque stupidi comites heroum, et ut Ulixes propter versutiam in comoediis Rhinthonis aliisque persaepe illudebatur[1]), ita etiam Pyladem, qui una cum Oreste Thoanta regem fraudasset, comico munere fungi facile inventu erat. Neque aliter rex (βασ, 58 sqq.) Thoantis regis similis est: ut enim in eo tractando Euripides paululum ad comicam rationem deflectit (v. 1152 -1221. 1307 - 1326), ita hic quoque rex decepti barbari partes agit. Si vero quis etiamnunc dubitabit, an nonnulla de Euripidis tragoedia in hunc mimum sumpta non sint, versus 42—49 (217—24) afferendi sunt, in quibus Charitium admonetur, ut deae dona rapiat, id quod tam celeriter praetermittitur, ut nullo modo cum tota fabula id cohaerere perspicuum sit. Neque tamen hoc ut ita dicam αὐτοσχεδίασμα plane inventum est, sed sumptum est sine dubio e recordatione quadam illius tragoediae, qua Dianae simulacri raptus tractatur.

Qua in re quis ignorat veteres phlyacographos tragoedias

1, 2, 17. 3, 10. θεωρεῖν Act. 20, 38 etc.), quamquam Grimmius (Lexicon Graeco-Latinum in libros Novi Testamenti, 1888, sub tit. πρόσωπον) ad ingenium hebraici sermonis has dictiones formatas esse dicit. Nonne autem facillime fieri potuit, ut Alexandriae vel ipsa Oxyrhyncho e Judaeorum sermone cotidiano in hellenismum hic usus sensim influeret, praesertim cum ne a Graeci quidem sermonis ingenio plane eum abhorrere Euripides doceret?

[1]) Jahrbuch des archaeolog. Instituts 1886 p. 295—7.

easque imprimis Euripideas, quae notissimae essent, in fabulis secutos esse, quarum tituli ab Ernesto Sommerbrodtio[1]) enumerantur? Phlyacis enim est μεταρρυθμίζειν τὰ τραγικὰ εἰς γελοῖον (Eustath. ad Dion. Per. 376). Ac profecto apud Sopatrum fabula invenitur, quae Orestes inscribitur (Athen. 6, 230 *E*), quam Euripidis tragoediam sequi verisimile est, cum in *Νεκυίας* fragmento phlyacographum illum Euripidi illudere Sommerbrodtius p. 38 demonstraverit.

Neque tamen cum his parodiis hic mimus confundendus est. Nam Crusius (Sitzungsber. Bayer. Ak. 1904 p. 357: ... verarbeitet Euripideische Motive .., ohne eigentlich parodisch zu sein) et Romagnolius (Riv. d'It. 1904 p. 500: Per altro non è una parodia, e basterebbe a provarlo il nome dell' eroina) eum, qui hanc fabulam componeret, Euripidi illudere minime in animo habuisse iure commemoraverunt. Etenim hoc si voluisset, duae rationes iniri poterant: aut, ut nonnumquam Aristophanes et Sopater in Hippolyto et Oreste, numeris tragicis usus veteris poetae tragoediam recta via sequi aut ut Rhinthon, neglecta forma ipsum argumentum personasque in humilia et sordida deflectere potuit (cf. Sommerbrodtii pag. 41). Quarum rationum neutra mimographus utitur. Quamquam enim interdum apud eum versus inveniuntur, paucis illis locis atque iis levissimis quos supra (pag. 25) commemoravi exceptis verba eius a verbis Euripideis tantopere aliena sunt, ut parodiam, si ea uti voluisset, nemo agnosceret. Rhinthonis autem aliquanto similior eius ratio videtur esse, neque plane reiciendus est, qui huius altissimas quasi radices descendere dicat usque ad phlyacographum illum Tarentinum. Sed hoc obtinendum est hunc scriptorem, etiamsi rerum quasi tenore cum illo coniunctus esset, parodia uti noluisse. Quamquam enim cum Thoas tum Pylades adeo deformati sunt, ut humiliores esse non possint, tamen aliae personae, quae utrique fabulae communes sunt, Charitii et fratris γ, gravissimae et

[1]) Ernestus Sommerbrodt, De phlyacographis Graecis. Diss. Vratislav. 1875.

venerandae sunt et praestant, ne dicam ostentant, summam dignitatem (44—48. 219—224. 226 sq.). Quis autem hunc mimographum Iphigeniae et Oresti temperaturum fuisse putaverit? Denique vero, id quod gravissimum est, hunc scriptorem, si parodia uti in animo habuisset, nomina personarum mutaturum non fuisse manifestum est (cf. Romagnol. p. 500). Quibus rebus perspectis nihil eum voluisse nisi de Euripidis fabula argumentum personasque mutuari apparet.

Sed haec hactenus. Perpauca enim ea, quae de tempore quo hunc mimum compositum esse verisimile sit proferre possum in pag. 30 et pag. 38 sqq. addam. Nunc autem quomodo hic mimus cum dramaticis, ut veterum nomine utamur,[1]) cohaereat quaeramus. Cuius mimi argumentum aliquo modo eroticorum scriptorum argumentis simile esse iam in Papyrorum Oxyrhynchiarum editione (III p. 42) commemoratum est. Ut enim persaepe in dramaticis illis, sic in hac quoque papyro virgo in loca externa defertur et a suis in patriam reducitur. Licet hoc ex Euripide solo derivandum sit, aliae similitudines accedunt. Velut apud Xenophontem Ephesium Antheia a Psammie Indorum rege emitur et, ut castitatem servet, Isidis sacram se esse simulat. Verisimillimum autem est Charitium quoque in Dianae sive Isidis templum confugisse, ut Indorum regis cupiditatem effugiat, ut Antheia ipsa 5, 4, 6, p. 384, 19 in Isidis templum confugit. Quod vero in subsequenti parte Xenophon mulierem Cyno Abrocomae, qui servitute eius oppressus teneretur, amore inflammatam maritum senem occidisse narrat, Crusius coniecturam peracute excogitatam ad versus 30 et 152 profert. Etenim cum eodem ordine res omnino diversae apud Xenophontem se excipiant, his mimis usum esse hunc scriptorem putat. Itaque hos duos mimos, ut eidem papyro inscripti sunt, ita actos quoque ab eodem grege et a Xenophonte, cuius aetatem eandem fere fuisse verisimile sit, in Aegypto vel in ipsa Oxyrhyncho spectatas esse videtur existimare.

[1]) Erwin Rohde, Der griechische Roman und seine Vorläufer², 1900, p. 376 sqq.

At primum Xenophontem omnino in Aegypto versatum esse incertissimum est. Nam Rohdius, postquam Xenophontem regionis Ephesiae peritum esse affirmavit (422) .... während er freilich, inquit, von der Lage der aegyptischen Staedte zu einander .... nur sehr dunkle Vorstellungen zu haben scheint, cuius rei testimonia in nota afferuntur, et in p. 423: Es muß also scheinen, als ob dieser Dichter, selbst ruhig daheim sitzend, nur seine Phantasie .... durch so viele Provinzen des weiten Reiches ausgeschickt habe. Deinde e magna copia dramaticorum et e maiore etiam mimorum pauca haec exempla quae aetatem tulerint tam arte conexa esse putare non licet, nisi singularis quaedam similitudo subest. Quam hic subesse non facile quisquam concesserit. Nam quotiens eaedem res et in mimis et in dramaticis terantur nemo nescit qui Herondam et scriptores eroticos perlegerit, unde quidquam concludere quam lubricum esset Rohdius ostendit, cum eiusmodi argumentis fisus (p. 521) Charitonis aetatem duobus vel tribus saeculis post quam re vera floruit definiret. Sed etiam mimis et dramaticis multa communia esse constat. Qua de re cum Reichium in altero Mimi volumine acturum esse sperare liceat (Der Mimus I p. VI, Deutsche Ltztg. 1903 p. 2688), singula praeripere nolo. Hoc tantum commemoro apud ipsum Xenophontem (III 5, 5—8, 2) Antheiam mortem sibi consciscere, sed cum medicus pro veneno soporem ei dederit, reviviscere, quod in mimis occurrere Reichius in p. 587—90 admonet, et in p. 351, 3—7 epistulam inveniri, quae omnino cum quinti Herondae mimiambi v. 6 sq. congruat. Apud Herondam enim legimus.

δοῦλός εἰμι, χρῶ ὅτι βούλῃ μοι
καὶ μὴ τό μευ αἷμα νύκτα κἡμέρην πῖνε[1]),

apud Xenophontem Abrocomas dominae Manto scribit:

[1]) O. Crusius, Untersuchungen zu den Mimiamben des Herondas, 1892, p. 99 exhibet: Es wird hier schwerlich, wie bei Theocrit (II 55 sq.), im erotischen Sinne zu verstehen sein. Nicht die unersättliche Sinnlichkeit der Bittinna ist es, worüber sich Gastron beklagt (vgl. χρῶ κτλ.), sondern ihre Grausamkeit, die allezeit neuen Anlaß (προφάσεις 5) zu

Δέσποινα, ὅ τι βούλει ποίει. καὶ χρῶ σώματι ὡς οἰκέτου· καὶ εἴτε ἀποκτείνειν θέλεις, ἕτοιμος, εἴτε βασανίζειν, ὅπως ἐθέλεις βασάνιζε· εἰς εὐνὴν δὲ τὴν σὴν οὐκ ἂν ἔλθοιμι, οὐδ᾽ἂν τοιαῦτα πεισθείην κελευούσῃ.

Atque in earum rerum numero, quae saepius et in mimis et in dramaticis tractentur, et eae videntur habendae esse, quae his mimis et Xenophontis narrationibus communes sunt. Saepissime enim adulteria in mimis occurrere constat. Neque in dramaticis inaudita sunt. Velut apud Heliodorum Arsaca Theagenem, quem servum esse valde gaudet (VII 23. 24), apud Achillem Tatium (inde a 5, 11) Melita Clitophontem pellicere conatur. Deinde ut Charitium et Antheia uxor quoque regis Apollonii (Apollonius Tyrius c. 27) in Dianae templum confugit, ne castitate fraudetur, quo Leucippa quoque (Achill. Tat. VII 13) se confert, cum Chariclea (Heliod. II 53, p. 73, 30) *τῇ Ἀρτέμιδι ζάκορον ἑαυτὴν ἐπιδοῦσα* nuptias recuset. Itaque cohaerere inter se aliquo modo mimos et dramatica nemo negaverit. Sed altius ea quasi descendere videntur, quam ut de singulis rebus quidquam concludi possit. Vetustius autem esse huius mimi argumentum quam ea quae ad nostram aetatem pervenerint dramatica facile quis inde concludat, quod in illo ne levissima quidem rerum ut ita dicam eroticarum vestigia videntur; hoc autem dubito, an accuratius quidquam de tempore evinci nequeat.

Sed ne vituperemur, quod adhuc rectam et versam schedam pari modo in testimonium vocaverimus, quae ratio inter versus 1—106 et versus 188 - 230 intercedat statuere necesse est. In eo enim spatio, quod paegnium non obtinet, versae schedae columna ultima, quadraginta tres versus scripti sunt, qui incipiunt a verbis: *κυρία Χαρίτιον, σύνχαιρε τουτ λελυμένῳ* et desinunt in verba: *αὐτοὶ γὰρ οὗτοι πρ(οσέρχονται*, ita ut

Strafen und Quälereien „mit den Haaren herbeizieht". Quod perlecto loco Xenophonteo defendi posse non puto. Neque tamen ex Heronda hausisse Xenophontem existimaverim, sed erat hic unus e mimographorum et scriptorum eroticorum locis communibus, quod alterius Ox. Pap. mimi v. 118 quoque demonstrat (cf. pag. 50 sq.).

alteram quasi recensionem mimi in recta parte conscripti inde a versu 30 (*νχαιρε μοι λελυμεν*) usque ad versum 56 sq. *αὐτοὶ δὲ οὗτοι λελουμένοι μετὰ τῶν . . . . παραγείνονται*) subesse manifestum sit. Maxime autem hae duae formae ea re differunt, quod in versa scheda γ omnino desideratur et ς, qui in recta parte videtur deesse, primas quasi partes agit. Neque tamen alterius recensionis plane diversae, quae fratrem omnino non exhibuerit, fragmentum hoc esse, sed alteri parti inseri posse e versu 226 sq. elucet: *μόν (ον δὲ τὸ πρόσω)πον τοῦ πατρὸς θεάσασθ(αι.* Etenim cum ex Euripide hoc fluxisse necesse non sit (pag. 25 not. 2), patrem ab eo qui versae schedae formam composuit e priore parte mimi assumptum esse puto. Si vero patrem retinuit, fratrem ab eo remotum non esse apparet. Ceterum vero altera recensio copiosior est, quamquam *χοιριδίων θυγατέρες* (38 sq.) et quae cum vino Indico cohaerent (52—4) omissa sunt. Aucta enim sunt mulierum verba barbarica (199 -201. 203. 205. 212; 35 *αλεμμακα* = 205 *αλεμακα*; 39 *αρμινθι* = 212 *μινει*?), insertae sunt stupidi facetiae (190 sqq.), ς denique proficiscitur, ut navem ad litus appellat (193—5), reversusque secundum ventum ortum esse nuntiat (213 sqq.), Praeterea ς nonnulla verba stupidi (cf. 217 sq. cum 42 sq.) ac fratris γ partes omnino suscepit (cf. 213 sq. cum 41, 228 sq. cum 50, 230 cum 56 sq.). Utrum autem tricesimum quoque versum a fratre eum suscepisse, ita ut γ in v. 30 diceret *Χαρίτιον, σύ)νχαιρέ μοι λελυμέν(ῳ*, ipse autem in v. 188 sq. *κυρία Χαρίτιον, σύνχαιρε τούτ(ῳ* (fratri) *ἀπο) λελυμένῳ*, cum Crusio an personam ς iam in v. 30 locutam esse, ita ut in v. 188 sq. *κυρία Χαρίτιον, σύνχαιρε τούτ(ων μοι) λελυμένῳ* restituendum sit, cum Britannis existimemus quaerendum est. Ac mihi quidem Britannorum opinio arridet, quamquam, ut saepe hoc in genere levi ac mobili, complura argumenta infirmiora unius potentis munere fungi opus erit. Primum enim mirum esset sororem fratre servato non sua sponte laetari, sed ab alieno esse admonendam. Deinde si fragmento, id quod necesse est, versuum 30 sqq. locum obtinendum esse existimamus, frater barbarorum ma-

nibus modo ereptus omnino nihil diceret. Fratrem denique in v. 97 Charitium *Χαρίτιον*, alios autem (β 42, ϛ 188. 213) *κυρία Χαρίτιον* appellare videmus. Quodsi in v. 30 *Χαρίτιον* tantum restituimus, hic versus undecim syllabas exhibet, id quod in completis huius columnae lineis — atque completam hanc lineam esse ex Oxyrhynchiarum papyrorum imprimendi ratione elucet, cf. lin. 30 cum lin. 31—33 — alias non invenitur; sin autem *κυρία Χαρίτιον* scribimus, eum qui usitatus est syllabarum numerum habemus. Quae res cum ita sint, personam ϛ, non fratrem γ, captam et liberatam esse et non solum in v. 188 sq., sed etiam in v. 30 loqui verisimile est. Itaque v. 30 sic supplemus:

ϛ *κυρία Χαρίτιον, σύ)νχαιρέ μοι λελυμέν(ῳ,*

versus 188 sq. sic:

ϛ *κυρία Χαρίτιον, σύνχαιρε τούτ(ων μοι λελυμένῳ.*

Quomodo autem ϛ cum ceteris rectae schedae personis coniunctus sit, in altero demum capite disseremus, ubi quae adhuc de ratione quae inter rectam et versam partem intercederet dicta sunt explebuntur.

Caput 2.
De actione et compositione.

Quae Hermannus Reichius in eo libro qui Der Mimus inscribitur de hypothesium compositione et actione (imprimis p. 563—615) coniecit, hac prima hypothesi eodem anno reperta, quoad materies suppeditat, plane comprobata sunt. Primum enim histrionum numerum certum non esse hoc e mimo elucet. E numeris enim, quibus singulae partes notatae sunt, excepta barbarorum multitudine non minus quam octo personas (α β γ δ [ε] ϛ ζ βασ) in scaenam prodisse apparet. Quin etiam quomodo partes in singulos gregis mimos distributae sint interdum cognoscere licet. Nam ut in tragoediis et comoediis, ita in mimis quoque primae partes penes certos histriones erant. Persaepe igitur et in inscriptionibus[1]) et in

[1]) Velut archimimi CIL XIV 2408, 2988, VI 1063, 1064; archimimae VI 10106, 10107; secundarum X 814; tertiarum VI 10103; quartarum VI 10118 (cf. Henzen., Bulletino dell. Inst. 1885 p. 240). XIV 4198.

ceteris monumentis archimimi et archimimae, mimi secundarum et tertiarum et quartarum partium nobis occurrunt, cum inde a quintis partibus, si ita dicere licet, grex coepisse videatur. Ac profecto Charitium, cuius de sorte agitur, numero α designata est. Archimimae ergo eius partes attributae erant. De β autem diutius disserendum est. Reichius enim p. 93 sq. stupidi partes semper a secundarum partium mimo actas esse explicat. Velut Verrius Flaccus apud Festum (p. 326 M.) mimos idcirco parasitos Apollinis appellari tradit, quod C. Volumnius mimus, cui primo haec appellatio indita esset, secundarum partium fuerit, qui fere omnibus mimis parasitus induceretur. Itaque quamquam posterioribus temporibus hic titulus non secundarum tantum partium mimis, sed etiam quartarum (CIL XIV 4198, CIL VI 10118) atque ipsis archimimis (velut Eutycheti XIV 2408, M. Junio 2988, Latino quem ut derisorem primas partes egisse Reichius putat, cf. Martial. 9, 28, 9) impositus est, tamen Augusti temporibus parasitum vel stupidum secundis partibus usum esse Verrique aequales Verriumque ipsum hanc consuetudinem veterrimam esse putavisse apparet. Sed ut quae Reichius ipse in p. 93 sq. affert praetermittam: in anni p. Chr. n. 212 inscriptione (CIL VI 104) archimimos stupidi sequuntur, stupidos scenici. Quibus testimoniis haec quoque papyrus adiungenda est: hic enim stupidus secundo numero, signo β, notatus est.

Tritagonista denique, id quod vel per se apparet, fratris Charitii partes agit. Quis enim virgine ipsa excepta gravior esse potest quam is qui e barbarorum manibus eam liberat? δ deinde navis gubernator est (101), qui vino deditus videtur esse (102, cf. Crusium ad v. 101). ε autem, quem numerum quamquam in hoc fragmento non legitur omnino in numerorum continuatione deesse non potuisse apparet, proretam (100) designare puto, quod numerus ε numerum δ sequitur et proreta secundum post gubernatorem locum obtinet, cf. praeter Aristophanem (equ. 542—4) Artemidori Onir. 1, 35 (p. 37, 7—9 ed. Hercher): *ἄρχει δὲ περινέου μὲν ὁ τοίχαρχος,*

τοιχάρχου δὲ ὁ πρῳρεύς, πρῳρέως δὲ ὁ κυβερνήτης, κυβερνήτου δὲ ὁ ναύκληρος. Crusius autem (p. 101) ϛ πρωρέα esse existimavit, ad quam opinionem certe idcirco adductus est, quod ϛ in v. 193—5 navem ad litus appulsurum se esse promittit, in v. 100 πρωρεὺς navem ad litus appellere iubetur. Neque tamen hoc satis valet ad rem plane diiudicandam. Manifestum enim est personam ϛ navem non eo deducere, ubi in v. 103 Charitium aliique eam conscendunt. Hic enim iterum eam de loco moveri opus est (100 παράβαλε δεῦρ' ἄγων τὴ(ν ναῦν ταχύ). Bis igitur navem appelli apparet: primum ita, ut prope ancoris consistat (99 τὸ πλοῖον ὁρμεῖ πλησίον), deinde ita, ut Graeci eam conscendere possint. Itaque facillime fieri potest, ut duo homines diversis iis muneribus fungantur. Neque scio, an ἔφορμον . . ποιήσω pro ἐφορμιῶ ideo positum sit, ut significaret: navem appelli iubebo. Atque equidem personas δ et ε, gubernatorum et proretam, de navigio omnino non descendisse putaverim, sed ceteris in terram expositis in alto id tenuisse, ne a barbaris dirueretur. Quae causa videtur esse, cur ε et δ antea in hac papyro non inveniantur. Si vero quis interrogat ubinam gubernator vino se obruerit (102) nisi simul cum barbaris, magis profecto mirandum esset, quod, quamquam potationi interfuisset et in v. 102 temulentia inde exorta commemoraretur, in versibus 58—95 omnino non occurreret. Quae res cum ita sint, notam ε, non ϛ proretam designare puto. Sed quid de ϛ existimemus plane edocere iam tempus est.

Quod ἐπίσημα, ut Graeco verbo utar, idem esse ac G, quod in recta parte invenitur, verisimillimum est, quamquam Grenfellius p. 42 hoc ei signo, quod 200 significet, similius esse dicit. At quid 200 hic vult? Num 200 personae hac in fabula agebant et signis notatae erant? Itaque si quo modo fieri potest, ut alterum quoque signum ϝαῦ = 6 significet, inutilis haec opinio reicienda est. Ac profecto Gardthausenius[1]) nos adiuvat: Das Vau hat in der aelteren Papyrus-

[1]) V. Gardthausen, Griechische Palaeographie, 1879 p. 265.

schrift noch seine ursprüngliche Form C . . . . Die erste Stufe der Fortbildung ist die, dass der unterste Querstrich sich nach links hin als kleines Häkchen fortsetzt, so z. B. in der letzten Zeile einer Papyrusurkunde vom Jahre 154 n. Chr. (Not. et Extr. 18, 2 p. 231 . . . .). Die Form ϛ ist bereits im 7. und 8. Jahrhundert gewöhnlich, das zeigen die Inschriften CIG 9350 (a. 694) . . . . Daraus wird bei dem Streben nach Symmetrie und Abrundung S: CIG 8669 (a. 808) . . . ." Repertae igitur sunt duae illae formae. Recta enim scheda, quippe quam semi-uncialibus litteris scriptam esse Grenfellius p. 41 dicat, antiquiorem formam numerorum exhibet, quam in papyris prius quam in lapidibus oriri apparet, versa autem, quippe quae cursivis litteris utatur, recentiorem. Neque ipsos Britannos hac de re dubitaturos fuisse puto, nisi ϛ Graece, G autem barbarice loqui putassent, quod ex eorum verbis elucet: ϛ . . . . seems to belong to the brother's party, and is c o n s e q u e n t l y to be distinguished from the speaker in ll. 70—1 and 74, who uses only the barbarian language, but is designated by a symbol which might o t h e r w i s e be supposed to r e p r e s e n t ϛ. Sed postquam Graeca haec verba esse Crusius ostendit, unica dubitandi causa sublata est. Mutilant enim G et ζ suum sermonem, ut regis Indorum sermoni Graeco eum accommodent, non aliter quam adulti liberorum sermonem imitantur, ut fiduciam eorum sibi comparent, et ni fallor huiusmodi sensus inest in v. 30 sq., ubi frater γ dicere videtur: λάλει βα-ρβαρίζων (βαρβαρίζουσι velut Pseudartabas vel Triballus apud Aristophanem), cuius rei ζ illico specimen dat: 32 λεανδα. Ac re vera personam ζ Graecum esse inde apparet, quod, si barbarus esset, in v. 31, ubi barbarorum mulieres in scaena versantur, mulierem, in v. autem 70, 71, 73, ubi mulieres in Psolichum flumen decesserunt, virum eum esse opus esset, ut Tiresiam in fabula. Atque grato animo personam ζ in prima mimi parte occurrentem videmus. Quem enim aliorum ridicula illa, quae inde a versu primo inveniuntur, cum stupido iactitantem mimographus inducere potuit, cum Charitium et frater talia

certe reiecissent (cf. 49. 192), ε et δ in navigio versarentur, Ϛ in barbarorum manibus esset?

Numeros igitur Ϛ et ς eundem designare neque aliter atque δ et ε, gubernatorem et proretam, collegas esse personas Ϛ (vel ς) et ζ verisimile est, nautas scilicet, qui simul cum β et γ ad litus egressi sint, cum δ et ε in navigio remanerent. Versae autem schedae recensio ideo videtur facta esse, ut personae Ϛ partes amplificarentur (cf. pag. 31). Dubito enim, an quisquam aliam commutandi causam proferre nequeat. Quod autem is qui commutavit eodem modo atque qui rectae schedae formam composuit sermone Canarensi uti videtur, eidem utramque formam attribuendam esse putarem, nisi ipsius papyri condicio plane fere id vetaret. Primam enim rectam schedam scriptam esse inde elucet, quod politam papyrorum schedam, quam rectam appellamus, nullo fere exemplo excepto primam inscriptam esse Wilckenius[1]) observavit. Deinde alter mimus, quem *Μοιχεύτρια* Crusius nominat, versae parti ita inscriptus est, ut una columna vacua maneret. Qua columna usus idem scriba qui *Μοιχεύτριαν* litteris mandavit alteram hypothesis recensionem scripsit. Itaque si rectae partis formam ab eodem qui scripsit compositam esse opinamur, certe versae partis fragmentum non ab eodem compositum est, sed ab eo, qui paegnium scripsit. Paulo autem post verisimillimum esse videbimus rectam partem non ab eodem, qui primum composuit, esse scriptam (pag. 38).

Qua re nisi fallimur, totam huius papyri condicionem contemplari et ea quae supra (pag. 30 sqq.) dicta sunt complere opus iam est. Etenim cum versus 98—106 fabulae exitum esse verisimillimum sit, quaeritur cur is qui versus 30—57 mutare vellet alterius, non eiusdem schedae columna usus sit, quam dextroversum adhaerere et litteris oppletam

---

[1]) Ulrich Wilcken, Recto oder Verso? Herm. XXII (1887) p. 487 sqq. Cf. Herm. XLI (1906) p. 104 not. 1.

non esse ex eo fragmento quod adhuc restat videre licet (Ox. Pap. III p. 41). Qua si usus esset, papyrum in scribendo molestissimum in modum versare opus non fuit. Neque alio modo haec inertia videtur excusari vel tolli posse, nisi eum non solum hos paucos versus (30—57), sed totam fabulam inde a versu 30 usque ad finem retractavisse putamus. Quod autem spatium quod ad dextram vacabat non satis ei videbatur ad octoginta fere versus retractandos, non plures quam tres columnas rectae schedae dextro lateri adhaesisse apparet. Itaque si papyrum vertimus, tres columnas, fortasse etiam duas vel unam primae paegnii columnae praecessisse apparet. Quae argumentatio certior mihi videtur quam Blassii, a quo viro acutissimo ad hanc concludendi rationem perductum me esse confiteor (Arch. f. Pf. III p. 280), qua usus versae schedae dextrum latus duas tantum columnas secutas esse coniecit, ita ut rectae schedae mimo duae solae columnae ante primam eam quae nobis servata esset (1—37) suppeditarent. Unde enim versae schedae totum spatium integrum scribam B complevisse apparet? Neque vero si Blassii coniecturam cum iis rebus quas ipse modo protuli coniunxerimus dubium erit, quin hypothesis primae columnae non minus quam tres praecesserint — num plures, nullo modo statui posse puto.

Sed nunc ad barbaros nos vertamus. Mirum enim est neque regem neque mulieres numeris notatos esse, sed litteris per compendium scriptis, velut regem *βασ* (58 etc.), mulieres 199 *γυν(ή)*, 199 etc. *ἄλ(λη)*. Unde haud scio an scaenam progrediente demum fabula in barbarorum fines delatam esse concludere liceat. Locorum igitur simul atque temporum commutationes, quas Reichius p. 567 sq. coniecit, comprobantur. Neque tamen opiniones quasdam, quae nisi in barbarorum vel mutilatis Graecorum verbis quid inest demonstrari nullo modo possunt, copiosius persequar et breviter ipsum naufragium, quo Charitium ad Indos deiectam esse verisimile est, re vera in scaena agi potuisse e Seneca elucere proferam (dial. 4, 2, 6): „. . . . non magis quam tristitia

est, quae ad conspectum mimici naufragii contrahit frontem." Neque de ambitu fabulae quidquam certi conicere licet nisi hoc praecessisse versui primo tantum quantum superest, fortasse etiam partem multo maiorem. Plurimum autem nostra interest hac in hypothesi prosam orationem cum lyricis et iambicis vel potius trochaicis versibus commixtam esse, id quod cum Reichii sententia (p. 569—74) optime convenit. Nam in v. 88—91 sotadei occurrunt, quos apud Petronium quoque (23) cinaedus recitat, et in v. 98—106 tetrametri trochaici, quibus in v. 105 trimetrus iambicus insertus est. Neque tamen hi versus trochaici vitiis carent. Unde ne concluseris scriptori non contigisse, ut primo impetu numeros expleret. Nam vitia talia sunt, qualia sine negotio emendari possint. Velut in v. 98 ἆρα πάνθ' scribere, in v. 103 τὸν ante πύνδακα inserere, in v. 101 ὁ κυβερνήτης eicere et cum Crusio vocabula sic ponere opus est: ἐὰν ἐγὼ πρῶτος κελεύσω (vel πρῶτον, πρώτως). Itaque is, qui hos versus scripsit, aut versus omnino non agnovit, id quod inde imprimis videtur elucere, quod ὁ κυβερνήτης inserere non dubitavit, aut tam depravatos invenit, ut parva sollertia qua uteretur non satis ad eos restituendos valeret, quo loco in vocabuli ἀναπαιστικὸς orthographia eum fortasse erravisse recordandum est (pag. 7). Quod cum ita sit, scribam non eundem esse atque scriptorem apparet, id quod Wilamowitzius quoque (Kult. d. Gegenw. I 8, p. 125) hac e re concludit. Nam hi trimetri per se optimi mihi videntur ingeniumque quoddam metricum praestant. Neque enim unquam falso loco spondei pro trochaeis positi sunt, pedes dissoluti (100 παράβαλε [101 ἐὰν ἐγώ], 102 πάλι λαλεῖς, 103 ἀπολίπωμεν, καταφιλεῖν) semper cum lege congruunt, lex etiam Porsoniana quater (98. 99. 103. 106) observatur, in iis versibus, qui rapidissimo quasi cursu utuntur (98 et 104), puri trochaei occurrunt, in solemnis versus 106 pedibus paribus semper spondeus. Iambicus autem versus 105 utrum eidem scribae ignorantiae an variandi studio cuidam attribuendus sit diiudicare non audeo. Neque scio an in v. 96 et 97 versus insint, quorum primus cum catalecticis

illis trimetris congruit, quos Christius[1]) p. 349 sq. affert, velut e Sophoclis Electra v. 1276 sq.:

τί μὴ ποιήσω; μὴ μ'ἀποστερήσῃς
τῶν σῶν προσώπων ἁδονὰν μεθέσθαι.

Versum denique 97 antispasto pro diiambo uti Crusius putat. Sed cum ne sic quidem intellegere possim, quomodo totus versus explanetur, et antispasti a grammaticis inventi esse videantur, minus etiam quam in v. 96 in v. 97 versum inesse pro certo habeo.

Antiquiorem ergo hunc mimum quam papyrum esse eodemque modo, quo scriba B rectae schedae formam mutaret, scribam A non verbum pro verbo reddidisse e partibus metricis apparet. Sed has partes omnium minime esse commutatas cum e re ipsa tum e versibus Sotadeis elucet, qui propter miram verborum compositionem summa diligentia videntur descripti esse. Itaque hellenismi insignes notae in versibus non inveniuntur, cum πάλι (101; 186 πάλιν; Phryn. p. 284 Lob., p. 347 sq. Ruth.) iam apud eos epigrammatum poetas, quos Meleager circa annum a. Chr. n. octogesimum in florilegium quod Στέφανος inscribitur recepit, occurrat (apud Callimachum Anth. Pal. 7, 520, 2, Hedylum Athen. 11 p. 473 A, Meleagrum ipsum Anth. Pal. 5, 182, 1). Quae cum ita sint, iterum, id quod iam ex Euripidis (pag. 26) et dramaticorum (pag. 30) similitudine elucere videbatur, non tam recentis aetatis hunc mimum esse verisimile est. Quamquam eo tempore quo hi versus componerentur mimi argumentum huic non tam dissimile fuisse inde colligendum est, quod in his versibus Indi (90), proreta (100), gubernator temulentus (101—3) iam inducuntur. Sed missas faciamus has disputationes de tempore institutas. Neque quidquam certi me attulisse putaverim, quod Koertii verba cauta refelleret, qui haec monuit: . . daß bisher noch kein Schatten eines Beweises dafür vorgebracht worden ist, diese einer festen Kunstform entbehrende Posse sei auch nur um ein Menschenalter älter als der im

---

[1]) W. Christ, Metrik der Griechen und Römer[2] (1879).

2. Jh. n. Chr. geschriebene Papyrus (Mus. Rhen. 60 (1905) p. 416).

Nam saltationes quoque, de quibus Reichius p. 612 sqq. agit, in hoc fragmento occurrunt. Atque in quincuncem dispositos barbaros saltavisse intellegimus, cum Crusius sine dubio in v. 91 *παραλλὰξ* recte restituerit. Quam saltandi rationem, ut sermonem, re vera ab Indis assumptam esse in mimo verisimile est, neque multum ea a cordace videtur discrepuisse, cum errorem inserens Arrianus (Hist. Ind. 7, 8) tradat: *καὶ ὄρχησιν ἐκδιδάξαι* (Liberum) *τὴν σατυρικὴν τὸν κόρδακα παρ' Ἕλλησι καλεόμενον* (cf. vocabula *βάρβαρος, ἄπλετος, ἄνετος, θεαστικός*).

Musicarum deinde parepigrapharum compendiis exceptis tres inveniuntur: τ̇, x, —, ac solum quidem τ̇ sedecies, x sedecies, — numquam, x τ̇ vel τ̇ x ter (61. 67. 72), x — ter (81. 82. 87), x — τ̇ bis (39. 87). Quorum signorum nullum Grenfellius nisi τ̇ interpretari conatur, quod **τυμπανισμὸς** esse summo iure eum existimare puto. Nam e versu 87 (τ̇ *έ* = τ̇ *πεντάκις*) et e versu 57 (τ̇ *αναπεσ* = τ̇ *ἀναπαιστικός*?) organum per intervalla sonans designatum esse videmus. Neque scio, an pedita melius significari non possint quam pulsibus tympanorum, quae aliis signis non additis semper cum parepigraphis *περδ* et *πορδ* coniunguntur (22. 39. 93. 211). Quod autem vir ille doctissimus lacunam, quae in fine versus 90 est et vocabulum huiusmodi: ⏑⏑–– desiderat, vocabulo *τύπανον*, quod producta (?) syllaba sequatur (vel Crusius vocabulo *τυπανισμόν*) explendam esse censet, mirum profecta est. Invenitur enim ante hanc lacunam signum x, non τ̇, ut omnia potius quam *τυμπανισμὸς* = τ̇ hoc loco conicienda sint. Proponere equidem audeo *κροταλισμόν*, ita ut signum x idem fere quod scabilla significet, quae Cicero (pro M. Caelio 65: Mimi ergo est iam exitus, non fabulae; in quo, cum clausula non invenitur, fugit aliquis e manibus, deinde scabilla concrepant, aulaeum tollitur) commemorat. Quae scabilla cum saltantium pedibus subicerentur, crepitacula eodem modo quo *κρόταλα*, quibuscum

plane congruunt, manibus pulsabantur. Quae crotala et crepitacula inter alia instrumenta mimica appellari paulo post videbimus. Quid autem, quod Aegyptiorum mulieres Bubastin (Bast) deam crotalis collisis (II 60 *αἱ μέν τινες τῶν γυναικῶν κρόταλα ἔχουσαι κροταλίζουσι*) colere et hanc Bubastin eandem ac Dianam esse (II 156: *Ἄρτεμις δὲ Βούβαστις*. II 137. 83. 155) Herodotus dicit? Nonne hoc modo *ἱερόθρους* ille *κροταλισμός*, quem deae Selenae (88 *θεὰ Σελήνη*) vel Dianae barbaros dare rex iubet, optime comprobatur? Eodem igitur puncto temporis, quo rex verbum *κροταλισμὸς* appellat, crotala crepitare incipiunt, quorum sonus paulo post (92) parepigrapha *κρουσ*=*κροῦσις* designatur; *κρούειν* enim hunc pulsandi modum significat et unum e crotalorum generibus crusmata erant.

Neque tamen his coniecturis crederem, nisi hoc accederet. Quaerendum enim est, quomodo his ipsis signis, non aliis illa organa designare iis qui hanc cartam inscripserunt in mentem venerit. Neque quidquam veri similius esse potest quam eos ipsis organorum formis ad has parepigrapharum formas ductos esse. Quorum crotalorum complures formae construuntur. Velut occurrunt, ut alias praetermittamus, apud veteres ligna fissilia (schol. Ar. nub. 259: *κρόταλον. Ἰδίως ὁ σχιζόμενος κάλαμος καὶ κατασκευαζόμενος ὥστε ἠχεῖν, εἴ τις αὐτὸν δονοίη ταῖς χερσί, καθάπερ κρότον ἀποτελῶν*) vel longiora[1]) vel breviora[2]), quae ea re nonnumquam differunt, quod aut tota (velut ea quae modo commemorata sunt) aut usque ad capulum tantum[3]) fissa sunt; duo bacula sceptris similia[4]);

---

[1]) Petrus Santi Bartoli, Lucernae veterum sepulchrales iconicae, 1702, tab. 34.

[2]) Lucernae fictiles musei Passerii, III tab. 20. F. Ficoronius, De larvis scenicis, 1750, tab. 9.

[3]) Bartolius tab. 36, Ficoronius tab. 8, cf. Publilium Syrum, CRF ex inc. fab. 1, 5 sq.: ciconia . . . . crotalistria.

[4]) Fr. Wieseler, Theatergebäude u. Denkm. d. Bühnenwesens (1851) tab. XII 40.

laminae conchatae[1]), e quibus fortasse castagnetae quae dicuntur Hispanienses ortae sunt; manubria[2]) duo curvata et nonnunquam aereis, ni fallor, capitibus ornata, quae dextra et sinistra apprehensa colliduntur. Quae certe omnium huic signo simillima sunt, neque obstat, quod Wilkinsonius Herodotum eo loco quem brevi post commemorabimus hoc genus fortasse in animo habuisse conicit (Sec. ser. I p. 279). Sed cum huius instrumenti partes non ita coniungantur, ut quasi terga eorum obversa sint (ϰ, cf. Ox. Pap. III p. 43 a pair of short strokes curving towards each other at the centre), atque etiam curvamine carere possint, ne hanc quidem speciem subesse puto. Ac re vera crotala inveniuntur quae plane eandem formam exhibent. Duorum enim lignorum leniter curvatorum alterum inter pollicem et secundum, alterum inter secundum et tertium digitum ita apprehenduntur, ut terga obversa sint, et quassata manu colliduntur. Quae crotalorum forma quomodo simplicius depingi potest quam duabus illis lineis, quae in media parte alterutram versus curvantur? Si vero quis hoc crotalorum genus apud veteres nusquam commemorari obicit, eodem iure ne nostra quidem aetate in usu id esse affirmari potest. Neque enim in tabulis neque in lexicis musicis (Riemann., Mendel., Grove.) hanc formam inveni, quamquam ei qui velut in nostrae urbis tabernis castagnetas postulat nullo negotio ea offertur.

Relinquitur signum —. Quod quid sibi velit ut explicemus, deliberandum est, quibuscum aliis instrumentis tympana et crotala apud veteres coniuncta sint. Ac primum quidem ad citharam velut apud Wilkinsonium (II p. 239) Aegyptiarum nulierum plausus resonant. Quis autem in versus 201—5, 67—73 aliosque cithararum sonum solemnem intrare putaverit? Deinde cymbala et tibias imprimis in Magnae Matris pompis cum tympanis coniungi nemo nescit (cf. Catull. 63, 21 sq., Ov. Met. 4, 29 sq. aliosque permultos). Neque

[1]) J. G. Wilkinson, Manners and customs of the ancient Egyptians, 1837 (a second series 1841) II p. 255.

[2]) Idem p. 257.

tamen simul cum crotalis cymbala, quorum sonus ab illis vix separari posset, inter haec pauca instrumenta quassata esse verisimile est. Tibiae autem apte videntur convenire. Atque crotala quoque cum tibiis coniuncta esse cum inde apparet, quod scabilla (*κρουπέζια*), quorum sonus crotalis similis est, una cum tibiis occurrunt (Suet. Cal. 54, Augustinus de mus. 3, cf. Photium, ed. Porson. p. 180, 21 sqq: *Κρουπέζαι: ξύλινα ὑποδήματα, ἐν οἷς τὰς ἐλαίας ἐπάτουν· οἱ δὲ κρόταλον, ὃ ἐπιψοφοῦσιν οἱ αὐληταί· τὸ βάταλον*), tum apud Propertium (4, 8, 39) et Philostratum (Imag. 1, 2. 3) ipsa crotala simul cum tibiis commemorantur. Sed iterum Herodotus (2,60) nos adiuvat, qui Bubastin sive Dianam non crotalis tantum (cf. pag. 41), sed etiam tibiis (*οἱ δὲ αὐλέουσι*) apud Aegyptios coli tradit. Si vero horum signorum formam cum instrumentorum forma congruere recordamur, forma tibiae optime signo — exprimitur. Monaulus[1]) enim hic denotatur, quem ab Aegyptiis vel ab ipso Osiride inventum esse Pollux (4, 77; Athen. 4, 175 E; Eustath. ad II. 1157, 37 sqq.) dicit (cf. Wilkinson. II p. 307—9. 222. 236).

Itaque eadem instrumenta occurrunt quae Reichius p. 612 appellat (bald ertoenten Floeten, bald auch Pauken und Cymbeln), praeterquam quod cymbala desunt et crotala eorum locum obtinent, ita ut quae in p. 613 e Claudiano[2]) afferuntur *εὐκρόταλοι χορεῖαι* appareant.

Caput 3.

Interpretatio.

Antequam totum mimum perlustrare incipio, quam brevissime de versibus 17—20 mihi disserendum est. Neque enim dubium est, quin *ἐρεγμὸς* sive *ἐρευγμὸς* (Etym. M. 371,

[1]) Cf. Hedyl. ap. Athen. 4, 176 C. D.
τοῦτο Θέων ὁ μόναυλος ὑπ' ἠρίον ὁ γλυκὺς οἰκεῖ
αὐλητής, μίμων ἡ 'ν θυμέλῃσι Χάρις,
quamquam paegnia hi mimi erant.

[2]) Arthurus Ludwich, Eudociae Augustae, Procli Lycii, Claudiani carm. Graec. rel., 1897, p. 178.

19—23 sub v. ἐρεχμὸς) hoc loco nihil significet nisi intestinorum ructum (cf. Hippocr. ed. Chart. VIII 859, ed. Kuehn XXI 253, 4, Aristotelem qui fertur probl. 23, 1, p. 961 b 9; 23, 9 p. 962 a 35—37). Itaque Crusius restituit

πάλαι ὁ πρω)κτός μου ἀπεσφήνω —
ται· ἀλλὰ νῦν ὥσπερ ἐν τ)ῷ πελάγει χει —
μών, οὕτως αἱ πορδ)αὶ ἐρεγμὸν
ποιούντων)

Pseudoluciani Philopatride (3) acutissime usus: *Βαβαὶ τοῦ ἀναφυσήματος, ὡς τὰς νεφέλας διέστρεφε· ζεφύρου γὰρ ἐπιπνέοντος λάβρον καὶ τοῖς κύμασιν ἐπωθίζοντος Βορέην ἄρτι ἀνὰ τὴν Προποντίδα κεκίνηκας, ὡς διὰ κάλων αἱ ὁλκάδες τὸν Εὔξεινον πόντον οἰχήσονται τῶν κυμάτων ἐπικυλινδούντων ἐκ τοῦ φυσήματος. ὅσον οἴδημα τοῖς ἐγκάτοις ἐνέκειτο, πόσος κορκορυγμὸς καὶ κλόνος τὴν γασιέρα σου συνετάρασσε* (cf. Ar. nub. 386 sqq.). Consensus profecto mirabilis! Attamen cum ipsa verba quae permanserunt artiorem quendam contextum exhibere videantur, aliam coniecturam virorum doctorum iudicio permittere audeo.

Perlustranti enim mihi fragmenti vocabula — *κτος μου απεσφηνω — ῳ πελαγει χει — αι ερεγμον* elucere videbatur stupidum, quem hic loqui verisimillimum est, nauseam describere velle. Quem morbum cum nemo veterum medicorum satis copiose tractaverit, ad nostrae aetatis viros doctos refugiendum est, e quibus unus[1]), postquam Unruhe im Leibe, die oft sehr hochgradig wird commemoravit: weiterhin besteht sehr häufig, inquit, hartnäckige und unangenehme Obstipation, wie ja überhaupt die Seekrankheit und der Aufenthalt am Schiffe zur Verstopfung disponiert. Habemus igitur omnia nauseae quasi elementa: mare (*ἐν τῷ πελάγει*), tempestatem (*χει — μών*), ructum (*ἐρεγμόν*), alvum astrictam (*ὁ πρωκτός μου ἀπεσφήνωται*). Quae cum ita sint, sic fere legendum esse puto:

---

[1]) O. Rosenbach in Realencyklopädie der gesamten Heilkunde, ed. Eulenberg, 1899, 22 p. 274.

Τῶν πορδῶν οὐκ ἀπορήσω. ὁ γὰρ πρω)κτός μου ἀπεσφήνω-
ται , ἀφ᾽οὗ ἐν τ)ῷ πελάγει χει-
μῶνος γενομένου αἱ τῶν κυμάτων προσβολ)αὶ ἐρεγμόν
μοι ἐνεποίησαν.)

Quo loco tractato ad totius fragmenti interpretationem nos vertamus. Quaeritur enim, quomodo Graeci a barbarorum insidiis per tantum tempus se tueantur. Cuius rei ratio tam immanis est, ut eam proferre non auderem, nisi omnium locorum consensus me cogeret. *Πορδὴ* enim vocabulum rem explicat, de quo ventris crepitu in v. 1—9 et 17—21 imprimis disputatur. Nam ζ, ni fallimur (pag. 35 sq.) in v. 1 stupido suadet, ut hoc modo se defendat (*ἵνα μὴ τρ)ωθῇς* vel *ἵνα σ)ωθῇς* — cf. 41 — *πορδὴν βάλε*). Ac stupidus, postquam miratus ex illo quaesivit: *πορδήν*; , et ille summum in peditis praesidium esse affirmavit (*ἰσχυρόταται γὰρ αὗτ)αι δοκοῦσι ἀποτροπαί*), superbia elatus sic fere videtur respondere (cf. Crus. p. 102): *τοσαῦτα γὰρ*

οὐκ ἀλαζονεύομαι. οἶδα γάρ),ὅτι ἐν τῷ πρωκτῷ μου
θεὰ)ν περιφέρω. κυρία Πορδή, ἐὰν διὰ
σὲ οἴκαδε σωθῶμε)ν, ἀργυρᾶν σε ποιήσας
Δελφοῖς ἀναθήσω.)

Ac profecto barbaros, qui in v. 11—16 magno cum clamore accedunt, in v. 22 non solum flatibus repellit, sed etiam eadem ratione qua Apulei asinus (met. 4, 3) usus inquinat et in Psolichum fluvium (27) fugere cogit, ut lavando se purgent. Ratio profecto mimis vere digna! Eodem modo praeterca Ϛ vel ϛ (pag. 32) ex hostium manibus liberatur (30. 188 sq.), id quod deae *Πορδῇ*, non aliis deis deberi stupidus in v. 191 dicit. Quo facto in v. 33 mulieres barbarorum appropinquant, de qua re accuratius in versa scheda erudimur. Stupidum enim persequuntur (cf. D. Lzt. 1903, 2684), neque multum abest quin eum vulnerent. Ille autem Charitium interrogat (209): *θέλεις οὖν καὶ ταύ)τ(ας φεύγειν) εἰς τὸν Ψώλιχον ποταμόν*, quod postquam illa permisit (211 *ὡς θέλεις*), pedit (211 ⸗ *Β πορδ*), et, ut antea viri, ita nunc mulieres *μινει* (cf. 39 *αρμινθι*?) clamantes aufugiunt (212). Quam rem recta quoque scheda explicat, ubi stupidus pedit

(39 ∔ πορδ) et mulieribus eodem modo fugatis: *καὶ αὗται*, ait, *εἰς τὸν Ψώλειχον πεφεύγασι.* Quorum locorum consensus, qui tota hac mimi parte perlecta non dubito quin splendidissime eluceat, si non satis videtur esse, accedit v. 56, ubi barbaros stercore ablutos (56 *λελουμένοι*) redire γ dicit. Hoc *λελουμένοι*, cum nullo modo id explicare possem, ad totum locum intellegendum me perduxisse confiteor, neque scio an nulla alia ratione explicari possit.

Quibus rebus disceptatis fragmenti huius priorem partem plane fere perspeximus neque quidquam restat nisi singulae quaestiones. Velut in v. 38 sq. haud scio an pedita stupidus porcorum filias appellet, quas ipsas quoque soluturum se esse promittat (*λύσω τὴν ἐμαυτῆς ὗν* furorem effundam Ar. Lys. 684), quamquam in Graecorum et Germanorum proverbiis alia plerumque animalia, asini, simiae, mustelae, teruntur. In v. 47 deinde nisi versuum 222 sq. similitudini nimis confidimus non video, cur non *μέλλοντες* retineamus et cum Britannis *παρέχεσθαι* coniciamus (quomodo enim di obsequantur precibus nostris nequitiae misericordiam suam praebituri, cf. *εὔνοιαν παρέχεσθαι*), quamquam *τῇ πονηρίᾳ* exspectandum esse concedo. In v. autem 52 Crusii coniectura, qua usus *ἅπερ οἱ πενθοῦντες* scribendum esse significavit, si quo modo litteris accommodari potest, admodum probabilis mihi videtur. In v. 56 facile quispiam *μετὰ τῶν* (*γυναικῶν* scribendum esse censeat. Sed cum mulieres in sequenti parte non commemorentur, eosdem qui modo mulierum partibus functi essent pauca vestimenta commutavisse et in scaenam redisse verisimilius esse puto. Ceterum re vera mulieres venantes Indorum reges comitatas esse e Strabone (15, 55 p. 710, Megasthenes FHG II 423) elucet: *τρίτη(ἔξοδος) δ'ἐπὶ θήραν βακχική τις κύκλῳ γυναικῶν περικεχυμένων — ἠσκημέναι παντὶ ὅπλῳ* (cf. *πηλίκα τοξικὰ ἔχουσι* 188).

Sed iam ad barbaros accedimus. Quorum regem initio suo sermone, deinde Graecorum sermone mutilato uti supra commemoravimus, cuius rei nonnulla indicia additurum me esse in pag. 24 promisi. In v. enim 93, quem Britannos

secutus interpretor (*πάντα τὰ τῶν ζώντων* just like living men), stupidus miratur Indos item atque homines saltare. Neque enim barbari homines ei videntur esse. Eodem modo in v. 67, postquam regis verba a fratre sibi transferenda curavit, regem increpat: *ὀκνεῖς οὖν λαλεῖν; καλήμερε, χαῖρε!* Neque enim barbarus, cum sermonem eius non intellegat, loqui (*λαλεῖν*) ei videtur, ut Germanus apud Bohemos nemec, mutus, appellatur. Ac simile aliquid etiam in v. 60 inesse puto, ubi an *βάσκειν* in huius aetatis sermone vivo omnino non floruisset incertissimum esse vidimus (pag. 18). Itaque solum Hesychium secutus (*βάσκε· πορεύου. λέγε. ἀνάστηθι*) *βάσκ' ἄλαστε* idem esse quod *φάσκ' ἄλαστε* conicere audeo.

Itaque rex in v. 58 *βράθις*[1]) = bêṛ âḍisu (laß getrennt spielen) dicit, quod a barbaris leniter commutatum repetitur et a fratre stupido interrogante *εἰς τὰ μερίδια λάχωμεν* (in singulas partes dividamus et sortiamur) vertitur. Stupidus *λάχωμεν* repetit vel ut rem se intellexisse demonstret vel ut re vera vinum distribuere se velle significet. Sed cum rex iterum barbaris verbis utatur (60), stupidus stomachatus regem increpat: *βάσκ' ἄλαστε* (Fac loquaris, miserrime). Neque tamen rex „loquitur". Exhibet enim praeter alia haec verba: bêṛe kõncha madhu pâtrakke hãki (v. 61 sq.; getrennt ein wënig Wein in den Becher gegossen habend) et kuḍisu (v. 64; give to drink). Stupidus autem ira inflammatus ultimos sonos a grege acclamatione probatos repetit (64 sq.: *κοττως. Κοι. κοττως.* B. *Κοττως ὑμᾶς λακτίσαιτο*), id quod unumquemque experturum esse puto, qui cum homine illiterato altercatus orationem clauserit verbo usus peregrino, quod ille non intellegat Neque minus hoc: .... *ὑμᾶς λακτίσαιτο* tritum fuisse quam nostrum: Du kannst mir den Buckel mit deinem .... herunterkriechen e medio vulgari (pag. 12) videtur elucere, quod alias in vocabulo *λακτίζειν* nusquam occurrit. Sed ne nunc quidem rex Graeco sermone utitur, sed in v. 65 *ζοτιτ* = jhaṭiti (plötzlich) exclamat, id quod stupido iterum interrogante a fratre simul

[1]) De verbis barbaris velim conferas quas in pag. 23 attuli Hultzchii disputationes.

cum *κοττως* = kudisu vertitur (66 *πεῖν δὸς ταχέως*). Nunc vero patientia rupta stupidus in regem invehitur (67): *ὀκνεῖς οὖν λαλεῖν; καλήμερε, χαῖρε* (cunctarisne etiamnunc loqui? Ave, felicissime — *εἰρωνικῶς*). Ac „loquitur" tandem rex: *ζεισουκορμοσηδε*. Quibus in litteris videtur inesse: *ζεῖ σου κοῦρμι; ὄζει δέ* (effervescitne tuum zythum? Quam vehementer olet!). Indus enim vini ignarus *κοῦρμι*[1]) id esse ratus, quod eodem modo atque potiones Indicae ex oryza ex hordeo efficiebatur, interrogat, num effervescat, et capite in vas immisso vini odorem animadvertit. Sed stupidus eum repellit: *ἆ, μὴ ὑγιαίνων=μή, ἐὰν ὑγιαίνῃς*), cum frater validius etiam vinum fieri iubeat (69). Tum nautae eius iussus qui fortasse in v. 31 sq. (*λάλει βα-ρβαρίζων*? cf. pag. 35) inest memores suum sermonem mutilare incipiunt. Sed perdifficile est intellegere, quid dum loquantur faciant. Neque audeo pauca illa quae de nonnullis verbis suspicer proferre, antequam de tota actione certam aliquam opinionem habeam, ne alios, qui fortasse prosperiore fortuna utantur singulis rebus iisque falsis praereptis perturbem. ϛ igitur, ut Crusium (p. 105) plane fere sequar, alas sibi esse affirmans de alto desilire personam ζ iubet (70), et currentes saltantesque stupidum corripiunt (71 sq.), qui summo opere eos reicere conatur (72 sq.). Tandem (75) rex eorum sermoni se immiscet. In v. 83 certiore quasi fundamento utimur. Dicit enim rex: pânam bêr etti katti madhuvam bêr ettuvenu (den Becher getrennt genommen und bedeckt habend werde ich Wein getrennt nehmen) id quod in v. 84 et 85 repetitur, praeterquam quod pro pânam vel parakkum (auch für einen andern) vel paraku (attention) ponitur. In v. 86, ubi *αρειμαν* legimus, *Ἀρειμάνης* vel *Ἀρειμάνιος* latere Crusius conicit, id quod minime reiciendum est, quoniam re vera apud Indos inter eos deos, qui Aditja appellantur, Arjaman quidam colitur, neque desunt, qui hos deos affines esse existiment (cf. Lassen I p. 905 sq.). Saltant deinde barbari, qua de re antea locuti sumus, et ebrietate oppressi Dianae, ni fallor, sacris cingulis vinciuntur (94). Quo facto frater Charitium e templo venire iubet (97 *δεῦρο ἔξω*), in quod, cum barbari reverterunt, videtur se recepisse. In sequentibus autem versibus ea quae commemoranda sunt antea commemorata esse puto.

[1]) Dioscurides mat. med. 2, 110: *καὶ τὸ καλούμενον δὲ κοῦρμι σκευαζόμενον ἐκ τῆς κριθῆς, ᾧ καὶ ἀντὶ οἴνου πόματι πολλάκις χρῶνται* . . . . Cf. Athen. 4, 152 C.

Sed restat, ut breviter de parepigrapha *καταστολή* (95) disseramus. Quod verbum, si alias significationes praetermittimus, non invenitur nisi in scholiis Aristophanis (ad Pac. 1204), ubi eandem quam *καταστροφή* vim habet. Exitum igitur mimi designat. Unde hunc scriptorem fabularum artis vocabula atque ea rarissima bene novisse apparet, id quod fieri non potuit, nisi in hoc quoque genere levissimo regulae quaedam componendi et agendi continenter traditae essent. Eandem igitur constantiam videmus, quae inde iam elucebat, quod hoc quoque in mimo secundae partes stupido attributae sunt (pag. 33).

Pars III.

De paegnio.[1])

Caput 1.

De signis et personis.

Quattuor signa hoc in mimo invenimus: lineas obliquas, tres lineas horizontales, quas linea obliqua sequitur (116. 185), punctum super linea collocatum (121), hamum (179).

[1]) Sudhausii (Herm. 1906 p. 247 sqq.) interpretatione, qua multum ad hoc paegnium perspiciendum contulit, iam uti non potui.

Quarum linearum creberrimae sunt obliquae, quas septuagies septies conspicimus. Neque tamen mihi simplicia interpungendi signa videntur esse aut cola tantum dispescere (Crusius, Her. mim.[4] p. 110), quippe quod per longa spatia, velut per versus 122–29, desiderantur. Itaque operae pretium non est e summa veterum interpungendi signorum inconstantia ullum nomen eligere et his signis attribuere, velut coronidem (179) vel στιγμὴν τελείαν (121). Neque quae Hephaestion (ed. Gaisford. I[2] p. 136 sqq.) de comicorum et tragicorum usu tradit ad hunc mimographum, cuius fabula plane aliis condicionibus utatur, quadrare possunt. Immo vero ad solam recitationem actionemque haec signa mihi videntur pertinere et omnis generis intervalla tanta varietate indicare, ut sub singulis titulis ea disponere vix possimus. Attamen ut ipsis mimis, quos summae mobilitatis memores esse semper cogebant, ita nobis quoque optima interpretandi subsidia erunt.

Quattuor deinde illae lineae in novis personis introducendis adhibentur, in v. 117, ubi Aesopus, in v. 185, ubi dominus primum loqui videtur. Mirum autem est in v. 165, ubi parasitum, et in v. 179 et 184, ubi Spintherem et Malacum primum loqui verisimile est, hoc validius signum non inveniri, sed solam illam lineam obliquam. Minus constans scriba in versu quoque 121 videtur, ubi pro linea obliqua puncto utitur, et in v. 179, ubi ante parasiti verba hamus positus est, quamquam prima parasiti verba iam in v. 165 inveniuntur.

Itaque iam ad personas progressi sumus. Inter quas primas partes obtinet domina, quam eius mulieris quam Herondas in quinto mimiambo effingit similem esse alii iam commemoraverunt. Nam ut Bitinna haec quoque unum e servis impudentissimum in modum ad adulterium pellicere conatur et, cum ille abnuat, alterius alicuius mulieris amorem ei obicit et ad poenam eum deduci iubet, cum Aesopus, ut Gastro perpetuum dominae concubitum (pag. 29 sq.), magnum laborem in agris factum virium suarum defectionis

excusationem afferat. Neque enim dubium est quin in v. 117 sq. Aesopus loquatur, primum quod κύσθος muliebre pudendum plerumque significat, deinde quod κυρι᾽ (117) nihil aliud esse potest nisi κυρία, cum dominus nondum adsit. Neque aliae similitudines desunt. Aufugit enim Aesopus e manibus servorum (130 sqq.). Nonne Laureoli servi fugitivi recordandum est (Juv. 8, 187. 13, 109, videas Ribbeck. Com. Rom. Fr.[2] p. 392 sq.), quem latronum ducem esse viri docti[1]) Grysaro[2]) crediderunt loco Josepheo (Ant. 19, 1, 13, apud Ben. Niese. 19, 94) μῖμος εἰςάγεται, καθ᾽ ὃν σταυροῦται ληφθεὶς vel λῃστῶν ἡγεμὼν prave inserenti Λαυρέολος (cf. similia apud Reichium p. 799–801). Σπινθὴρ deinde, quod nomen servi apud Theopompum quoque comicum (I 741 K.) est, et Μάλακος, quod nomen παῖδα ἐρώμενον eum esse significat (Crusius Her. Mim.[4] p. 110) non videntur loqui ante v. 179 sqq., ubi Crusii partitioni plane assentior. Quid autem de ceteris servis suspicer, in ipsa interpretatione proponam. Loquuntur denique parasitus et dominus, qua in re senem iratum in comoediis et parasitum in comoediis et mimis (pag. 33) tritissimos fuisse recordamur. Plane denique muta esse videtur serva Apollonia (120. 140–2. postea?).

Caput 2.

Quomodo hoc paegnium actum sit.

Quam maxime mimographum locorum motuumque varietati studere apparet. Ac primum quidem loci vestigium videmus in v. 128, ubi domum introire se velle mulier dicit. Ante domum igitur ea quae praecedunt agebantur, et in v. 107, ubi Crusium ἀποζώσωμαι, quod verbum inde ab Herodiano (velut ab exc. D. Marc. 2, 13, 8) demum occurrit, recte restituisse veri simillimum est, simile aliquid exspectamus

[1]) Cf. Friedlaenderi Sittengeschichte II[6] p. 437: des berühmten Räuberhauptmanns Laureolus, p. 409. Reich. p. 564: das berühmte Räuberstück, ac saepius.

[2]) Grysar, Der römische Mimus. Sitzungsber. d. Wiener Akademie, 1854, II, p. 301.

atque hoc *ἔνδον εἰςελεύσομαι*, cum in aula se discingere illa nequeat. Aedes igitur intrare videtur in v. 129, cum in eodem versu in aula iterum eam versantem servorumque nuntium secum reputantem inveniamus. In montem deinde exire contendit, si iure Crusius in v. 145 sq. scribit *ἔξιοῦσα ἐς* (vel potius *εἰς*, cf. pag. 8) *ὄρος ἀκριβῶς νῦν ἰδεῖν πειράσομαι εἰ τέθνηκε* . ., sed manet in scaena, cum Aesopum iacentem videat (148 sqq.). In versu deinde 153 supra servos stantem (*ὧδε ἄνω*) eam conspicimus; quod autem in proximo versu domum intrare Spintherem iubet (*ὧδε ἄνω συνείσελθέ μοι*), vel gradibus uti aedium aditum, id quod non ad omnes fabulas accommodatum videtur, vel scaenam leniter acclivem esse intellegimus, ut quae in posteriore parte agantur perspiciantur. Sed accuratius aliquid de scaena fronte comperimus; complures enim portas exhibet, quarum latissima uti servus iubetur (162 *ὥστε πορευθεὶς τῇ πλατίᾳ* = *πλατείᾳ*, pag. 7). Quo loco quis tres theatrorum Hellenisticorum portas non recordetur, quarum una (*τῇ πλατίᾳ!*), regia, re vera latior erat quam aliae duae, hospitalia[1])? Ac profecto phlyaces in magnis theatris Hellenisticis actos esse Bethius docuit.[2]) Maxime autem nostra interest hoc paegnium, quod in eadem carta inveniatur atque illa hypothesis et in eiusdem mimorum gregis partibus numerandum esse videatur, aliam scaenam non desiderare atque magnam illam hypothesin (97 *δεῦρο ἔξω*, cf. pag. 87).[3])

[1]) O. Puchstein, Die griechische Bühne, 1901, p. 27.

[2]) E. Bethe, Prolegomena zur Geschichte des Theaters im Altertum, 1896, p. 286 sq.

[3]) At Reichius (p. 608) omnibus temporibus scaenam frontem sipario obtectum esse affirmat. Quod prioribus temporibus semper et posterioribus in scaenis ex tempore aedificatis factum esse minime nego. Neque tamen mihi persuadere possum ea aetate, qua nihil fere agerentur nisi mimi et pantomimi, extremum parietem splendidissime plerumque exornatum semper velatum esse. Atque Donati temporibus siparium alio munere functum esse haec verba docent (Excerpta de comoedia 8, 8): pro quibus (aulaeis) siparia aetas posterior accepit. Est autem mimicum velum, quod populo obsistit, dum fabularum actus commutantur.

Itaque cum mimographum theatrum Hellenisticum respicientem motusque mulieris ita disponentem videamus, ut per totam scaenam agitetur, facere non possumus cum Reichio (D. L. Z. 1903, 2681, cf. Blass. Arch. f. Pf. III p. 280), qui, ut Crusii verbis utar (Her. mim.[4] p. 110), recitatione sola haec repraesentata esse opinatur. Immo vero actione quam maxime agitata, sed — quod contra Crusium cum Reichio mihi defendendum esse puto — unius personae.

Primum enim facillime regia vel hospitalibus usam mulierem de scaena decedere posse apparet. Attamen mimographus enixe operam dat, ut semper in scaena maneat. Velut quamquam exire se velle pronuntiat, in v. 147 sq., ut v. 107 (cf. pag. 51 sq.) praetermittamus, impeditur, quod Aesopum iacentem videt, in v. 157 (cf. 154 sq. *εἴςελθε*), quod servos de consilio certiores facere in mentem ei venit, in v. 165 (cf. 163 *ἀπελθόντες*), quod parasitus exspectatione celerius occurrit, in v. 178 (cf. 175 *εἰςελθόντες*), quod parasitus revertitur. Quid autem quod, cum re vera de scaena decedere videtur, in v. 129 et 170, res veri similitudini omnino repugnat? Nam brevissimo illo tempore, per quod mulier abesse potest, in v. 129 Aesopum et Apolloniam e servorum manibus evasisse et servos rediisse dominamque in aedibus de fuga certiorem fecisse nobis ducendum est, et in versus 170 minimo intervallo venenum prandiumque a domina Malacoque paratur, cuius rei difficultatem mulier magis detegit quam obtegit cum dicat: *ἐπαινῶ Μάλακε τὸ τάχος*. Quam facile haec temporis spatia aliarum personarum verbis expleri poterant, si aliae personae omnino in scaenam prodissent!

Sed graviora sequentur argumenta. Nam in v. 117 sq. Aesopum, in v. 165—7 parasitum, in v. 179 sqq. Spintherem, parasitum, Malacum, dominum loqui supra commemoravimus. Quod si rectum est, nonne mirum videtur partes eorum tantopere circumcisas esse? Nonne mirum est subito voce eos instrui, cum plurimum tempus muti scaenam percurrerint, velut Malacus et Spinther inde ab initio usque ad versum

179 sqq.? Quo accedit, quod pauca illa verba, quae molestissimum silentium personarum mulierem tamquam umbrae circumvolantium rumpere potuerunt, a domina quasi oribus eorum erepta sunt, velut in v. 129 sq., ubi domina servorum nuntium repetit, in v. 172, ubi alterius personae quaestionem *τὸ ποῖον* repetit, in v. 139 (*τί φησιν; ἤδ' ἦν ἄρα;*). Multo igitur verisimilius mihi videtur etiam pauca illa verba, quae servis vel parasito vel domino relinquuntur, eum qui dominae partibus fungebatur ipsum locutum esse. Ac profecto mimus Vitalis (cf. Reich. p. 599 sq.) gloriatur:

Fingebam vultus, habitus ac verba loquentum,
Ut plures uno crederes ore loqui.

Itaque totam actionem quam maxime implicatam solis suis motibus gestibus verbis quisquis egit proposuit et, cum in priore parte verba aliorum plerumque excepisset, in exitu totam artem quasi exprompsit. Hic enim quinque personas voce distinxit, id quod facilius ei contigit, si, quod mihi verisimile videtur, vir agebat. Neque scio an paegniorum ultima pars, ut hypothesium exitus *καταστολή* (pag. 49), *ἀγών* (plurium vocum quasi certamen), quod in margine versus 178 scriptum est (cf. Ox. Pap. III p. 53, Crus. ad v. 178 et 213), appellata sit, cuius artis vocabuli vestigium, ut *καταστολή* uno loco (schol. Ar. Pax 1204) probaretur, plane deletum esset. Si vero quis dubitabit, an ii qui audiebant mimi actionem intellegere non potuerint, ne eos quidem, qui hunc mimum agendum sibi proponerent, eum intellegere potuisse eodem iure statuendum est, cum nobis tantas interpretandi difficultates afferat. Sed ut manifestum est illorum temporum mimos primo aspectu totam actionem singulaque verba perspexisse, non magnum studium huiusmodi paegnio impendisse, ita spectatores cum personas et condiciones atque ipsa plerumque verba sententiasque (cf. pag. 29 sq.) tum motus gestusque totiens in theatris cognoverant, ut lenissimos nutus significationesque sine negotio perciperent.

Caput 3.

Interpretatio.

Initio fabulae *ἔνδον εἰςελεύσομαι, ἵνα ἀποζώσωμαι* vel simile aliquid restituendum esse in pag. 51 sq. vidimus. In versu autem 110 difficultas inest, quam nobis profuturam esse spero. Vocabulum enim *φαιδρὸς* adiectivum esse non potest, quod exceptis versibus Sotadeis adiectivum supervacaneum in neutro mimo invenitur, id quod optime ad hoc genus litterarum accommodatum est. Ac ne praedicativum quidem esse potest, ita ut cum Crusio coniciendum sit *δεῖξον σαυτὸν φαιδρόν*, quod, ut ipse dicit, lineolae quibus hoc verbum circumcluditur sui iuris id esse indicant. Neque enim propter scribae inconstantiam in signis ponendis praebitam has lineolas neglegere licet. Quae inconstantia non apparet nisi in personis distinguendis, neque difficile est causam afferre, cur hac in re minus diligens fuerit: etenim cum una persona omnes partes ageret, in partibus designandis tantam curam adhibere opus non erat, quantam hypothesis scriba, quippe qui diversis actoribus uteretur, adhibuit. In obliquis autem lineolis, si ad actionem ipsam, non ad interpungendi rationem spectamus, haec inconstantia non invenitur. Ac quamvis facile quis hoc vel illo loco signum desiderare vel addere possit, tamen facere non poterit ut ullum locum ostendat, ubi hae lineolae sine ulla ratione positae sint, nedum versum 110, in quo unum verbum lineolis circumcludatur.

Itaque quanam ratione hoc fieri potuisset mihi perpendenti restare videbatur, ut mulier uni e servis hoc responderet, cuius interrogationem similiter atque in v. 172 (*τὸ ποῖον;*) in lacuna eam repetivisse verisimile esset. Quid autem hoc *φαιδρον* sit, e totius loci interpretatione intellegere conabimur.

Mulier igitur postulat, ut unus e servis secum concumbat, et in v. 115 Aesopum nominat his verbis usus: *εστηκεν Αισωπ ο την δουλ καταδεξο.* Quibus e verbis dominam tum demum stantem eum videre neque prius amorem eius concu-

piscere elucere puto. Qua cum re convenit, quod in prioribus versibus saepius legimus servos ei non obtemperare, velut in v. 111 *κελεύω καὶ οὐ γίνεται;* 113 *οὐδὲ σὺ θέλεις;* 114 *οὐδὲν γίνεται;* Quae cum ita sint, verisimile est mulierem illam impudicam non Aesopum solum, sed alios quoque servos ad concubitum invitasse, e quibus haud scio an unus Phaedrus appellatus sit. Hoc enim nomen cum nomine Malacus (pag. 51) optime consentit, neque exempla omnino desunt, e quibus servis hoc nomen fuisse eluceat: Phaedrum apologorum auctorem servum fuisse nemo nescit.

Itaque nonnullis Crusii coniecturis usus versus sic supplere audeo, non quo re vera mimographum ad verbum omnia haec scripsisse putem, sed ut eam sententiam quam his in versibus inesse conicio contra spatium non repugnare ostendam·

ἔνδον εἰςελεύσομαι ἵνα ἀπο)ζώσωμαι./ ἐρῶ νῦν παιδός./ παρακαλέσω αὐ)τὸν ἵνα με βεινήσῃ./ τί οὖν ὀκνεῖτε; λήψεσθε τὰς μά)στιγας./ δοῦλε, προςελθὼν βείνει./ τίνα λέγω;)/ Φαῖδρον./ μαστιγία, ἐγὼ ἡ κυρία ἐνδέομαι το)ύτου. κελεύω καὶ οὐ γίνεται;/ οὐ θέλεις . . . .

Domina igitur desiderium aperit. Quis autem libidinem expleturus sit, mulieris voluptatibus obtusae initio minime videtur interesse (*ἐρῶ νῦν* [*τοῦ!*] *παιδός*). Sed cum servi reformident et in cumulum coacervati consistant (*τί ὀκνεῖτε;*) ac ne minae quidem eos incitent (*λήψεσθε τὰς μάστιγας*), tandem ad certum puerum cupiditatem dirigit. Ut autem est offirmata, eum quem delegerit consilia ipsius suspicari cupit (*δοῦλε προςελθὼν βείνει*). Itaque unus e servis, fortasse Malacus, quem non tantopere quam alios abnuere ex ea quam postea videbimus familiaritate et ex ipso nomine concludimus, interrogat, quemnam dicat. Repetit illa eius verba more consueto (cf. *τὸ ποῖον*): Quem dicam, quaeris? Phaedrum dico. Sed ne nunc quidem Phaedrus procedit, cum Malacus etiamnunc se offerat. Malacum igitur, quem hoc tempore non desiderat, repellit: *μαστιγία, ἐγὼ ἡ κυρία ἐνδέομαι τούτου.* Phaedrus iterum abnuit. *κελεύω καὶ οὐ γίνεται; οὐ θέλεις . . . . δινεσ. ποίησον.* Aliquamdiu exspectat, quid ille facturus sit.

Lineola temporis intervallum indicat. Tum autem Malacum, si *Μάλακε* re vera inest in littera *μ* . . . . (112), illum castigare iubet. Alium deinde servum in v. 113 arcessere videtur, quem litteris . . *στ(ϝ)* usi velut *Ἥφαιστον* vocare volumus. Sed ne hic quidem ei morigeratur (*πόησον. οὐδὲ σὺ θέλεις;*), quam ob rem fortasse vincitur (113 sq. *παῖδες, τοὺς ἱμάντας?* cf. Herond. 5, 11), certe, cum etiamnunc eam aspernetur, castigatur (114 *οὐδὲν γίνεται; δὸς ὧδε τὰς μάστιγας*). Quomodo mulieris rabie quam maxime aucta Aesopum servum stantem videt. Statim ei in mentem venit illum cum serva Apollonia rem habere, et summo furore inflammata eum, qui aliorum omnium instar ei videatur, verberari iubet. Neque Aesopus aeque prudens est atque sodales, sed ad obloquium rapitur (117 sq.). Ceterum per intervalla, cum cruciatu verberum ac furore vox suffocetur, verba eum exprimere lineolae, quae post singulas sententias condicionales collocatae sunt, videntur indicare. In sequentibus autem versibus lineolae rarius ponuntur vel excepto versu 122 omnino desunt; neque enim quidquam fit excepto iterum hoc versu, ubi Apollonia adducitur, et versu 122, ubi *τελεία*, ut hoc nomine utamur, Aesopum abstrahi indicat, neque alia signorum ponendorum causa inest. Ceterum Aesopus et Apollonia ita promunturii arboribus suspendi iubentur, ut neuter alterum conspicere et gaudio affectus mori possit, quod si quis in dramaticis legerit minime miretur. In versu deinde 129 domina aedes intrat, sed brevi post revertitur: servos enim rediisse et Aesopi Apolloniaeque fugam nuntiavisse mimographus fingit. Servi autem, ut poenam effugiant, deos sibi apparuisse illosque subito e conspectu elapsos esse mentiuntur, id quod domina cum aliqua dubitatione repetit. Nam lineolae post verba *ἐφαντάσθησαν, ἐφοβήθητε, γεγόνασι* positae singula secum reputare et vultu dubitabundo illos examinare mulierem ostendunt. Attamen saltuarios eos comprehensuros esse sperat. Sed ut certius pereant, eos exsecrari constituit defixionumque tabellis, quae ad scaenam minus aptae sunt, repudiatis sacrificium comparat. Quod haud scio an non dilucidius illustrari possit

quam loco quodam Plutarcheo (Crassus 16 p. 553a): ὁ δὲ Ἀτήιος προδραμὼν ἐπὶ τὴν πύλην ἔθηκεν ἐσχαρίδα καιομένην καὶ τοῦ Κράσσου γενομένου κατ' αὐτὴν ἐπιθυμιῶν καὶ κατα-σπένδων ἀρὰς ἐπαρᾶτο δεινὰς μὲν αὐτὰς καὶ φρικώδεις, δει-νοὺς δέ τινας θεοὺς καὶ ἀλλοκότους ἐπ' αὐταῖς καλῶν καὶ ὀνομάζων. Ταύτας φασὶ Ῥωμαῖοι τὰς ἀρὰς ἀποθέτους καὶ παλαιὰς τοιαύτην ἔχειν δύναμιν ὡς περιφυγεῖν μηδένα τῶν ἐνσχεθέντων αὐταῖς. Hoc loco eadem fere artis vocabula quae in nostro mimo inveniuntur. Ἐπαρᾶσθαι enim, quod semper aliquid mali alicui optandi vim habere ex om-nibus indicibus et lexicis quae evolvi elucebat, totum ritum significat. Id quod in v. 134 invenimus ὄμοσον idem est atque quod apud Plutarchum commemoratur δεινοὺς δέ τινας θεοὺς καὶ ἀλλοκότους ἐπ' αὐταῖς καλῶν καὶ ὀνομάζων. Nam ὀμνύναι (et ἐπομνύναι) θεοὺς (deos testes vocare) saepissime cum ἐπαρᾶσθαι coniungitur, sive quis ipsum se exsecratur, nisi promissum sequatur, unde nonnunquam ἐπαρᾶσθαι etiam iurandi vim capit[1]), sive alium. Velut, ut alios permultos praetermittamus, apud Demosthenem legimus (in Timocr. 151): ἐπομνύναι Δία, Ποσειδῶ, Δήμητρα, καὶ ἐπαρᾶσθαι ἐξώλειαν ἑαυτῷ et apud eundem Plutarchum (Crassus 7): ὁ δὲ ἀναβὰς εἰς τὸ Καπιτώλιον ἔχων ἐν τῇ χειρὶ λίθον ὤμνυεν, εἶτα ἐπα-ρασάμενος ἑαυτῷ μὴ φυλάττοντα τὴν πρὸς ἐκεῖνον εὔνοιαν ἐκπεσεῖν τῆς πόλεως . . . . Ὀμνύναι igitur in v. 134 idem est quod θεοὺς καλῶν καὶ ὀνομάζων apud Plutarchum,

---

[1]) Babrius 23, 6 δυστυχὴς δ' ἐπαρᾶται
καὶ βοῦν προσάξειν εἰ φύγοι κε τὸν κλέπτην.

Rutherfordius (Babrius, 1883) in nota: This last sentence, inquit, is very puzzling. In what sense can ἐπαρᾶται with a future infinitive be used? . . . . The text of the fable is probably more corrupt than the critical note indicates. — In Euripidis Iph. Aul. 60 simile quid subesse, quamquam iurandi vocabula praecedunt, praepositio τάδε docet:

. . ὅρκους συνάψαι δεξιάς τε συμβαλεῖν
μνηστῆρας ἀλλήλοισι καὶ δι' ἐμπύρων
σπονδὰς καθεῖναι κἀπαράσασθαι τάδε,
ὅτου γυνὴ γένοιτο Τυνδαρὶς κόρη,
τούτῳ συναμυνεῖν . . . .

cum λέγετε τὰ πρὸς τὰς θυσίας 134 sq. et ὑμνήσατε τοὺς θεοὺς 136 sq. tertium munus a pluribus suscipiendum significet. Ἐπίπρησον δὲ τὰ νομιζόμενα (134) consentit cum Plutarchi verbis ἐπιθυμιῶν et ἔθηκεν ἐσχαρίδα καιομένην, neque scio, an Spintheris, qui hoc demum loco appellatur, nomen ab hoc munere tractum sit (cf. Carpe apud Petronium 36, Friedlaender. Sitteng.[6] III p. 138 sq.). Spinther igitur suffire et deos invocare, servi cantare iubentur, dum ipsa vota pronuntiare incipit. Quomodo vero unus actor, quamvis commode varios homines fingere possit, ut plures uno ore loqui credas (cf. pag. 54), uno eodemque tempore et servos varia cantantes et dominam vota pronuntiantem agere possit, certe miramur. Quam difficultatem summa profecto sollertia mimographus vitavit, unde de numero actorum hoc in mimo in scaenam prodeuntium recte nos iudicasse iterum apparet. Tacentes enim servos fecit, cum strepitum in aedibus orien-tem audirent. Mulier igitur solemni voce incipit: Ἐπειδὰν οἱ θεοὶ καὶ ἐπ' ἀγαθῷ (nam cum antea di apparerent, cala-mitati dominae, servis fugitivis saluti erant, cf. 129 sq. οἱ θεοὶ — ἐφαντάσθησαν cum φαίνεσθαι 136) ἡμῖν φαίνεσθαι μέλλωσιν ὡς προσέχοντες — sed antequam dis quid promittere potest, servorum cantum desiderat votisque interruptis eos increpat: ὑμνήσατε τοὺς θεούς, deinde Spintherem solum, cum neque suffiat neque deos invocet: μαστιγία, οὐ θέλεις ποιεῖν τὰ ἐπιτασσόμενα (137)? Cuius responsum more consueto sic significat (138): τί γέγονεν; μαίνῃ;, et domum eos intrare iubet, ut videant quis tumultuetur. Reverti deinde servos animo nobis effingendum est Apolloniamque adducere, quam a se in aedibus repertam esse nuntient (τί φησιν; ἥδ' ἦν ἄρα;). Abstrahitur serva, ut a saltuaris vinciatur (140—2). Aeso-pum quoque indagari atque interfici domina iubet (139 sq., 143 sq.) et ad montem (146 εἰς ὄρος Crus., cf. ἀκρωτήρια 123) properare vult, ut mortuum eum conspiciat et aemulatione (pag. 21) solvatur (144—7). Subito autem corpus eius animad-vertit. Quod vero Crusius in v. 145 sq. μέν-ωμεν supplet, repugnat contra eam quam et rectae et versae partis scriba

nullo loco excepto adhibet syllabarum transferendarum rationem. Itaque compendio eum usum esse (ὧδε μέν[ωμεν cf. 119 μέν]εις) verisimile est. Si vero eminus contra incertissimas litteras coniecturam proferre licet, coniecerim: ὧδε μέν[ωμεν. πῶς ἀνέ)χομαι τὰ ὧδε, ἐέ / ἰδοὺ οὗτος .... (cf. 150 πῶς ἀποδύρομαι; Paulus ad Col. 4, 9 τὰ ὧδε quae hic geruntur). De ea deinde quae sequitur oratione in Papyris Oxyrhynchiis (III p. 56) opinio peracuta, sed si recte iudico falsa pronuntiata est. Putant enim viri docti pari modo atque in v. 182 sqq. Spintherem et Malacum hic dominam orationem habere non apud ipsum mortuum, sed orationem tantum praeparare, quam habitura sit, si re vera ille mortuus sit. Ad quam interpretationem τὰ ὧδε optime quadraret, si hac aetate ὧδε adverbii οὕτως vim haberet, ut apud priores. Sed legimus in Apollonii Sophistae Lexico Homerico (ed. J. Bekker. 1833 p. 170, 21 sqq.): ὧδε κατὰ Ἀρίσταρχον οὐδέποτε συνήθως ἡμῖν κεῖται, ἀλλ' ἀντὶ τοῦ οὕτως τάσσε etc. (cf. W. Schmid, Atticismus IV p. 67 sq.) Deinde parasitus in v. 165 re vera Aesopum iacentem videt et Spinther in v. 153 re vera luget (Σπινθήρ, πόθεν σου ὁ ὀφθαλμὸς ἡμέρωται), id quod dominam non pigeret, si ipsius solo artificio effectum esset. Quod autem in v. 166 sq. parasitus Apolloniam quoque videt, in v. 148—52 servae reditum commemoratum esse coniciendum est. Itaque haud scio an in v. 151 sq. Apollonia, quae mortuo procumbat, non Malacus Aesopum lugere vetetur (ἀνάπαυσον Ἀπολλ τὰς κεχαρμένας φρένας ἀρῶ), cum coram aemula aemulatio modo placata (151 ἦρται πᾶσα ἔρις) denuo commoveatur. Dimidium autem vestis a Spinthere postulat (156), ut corpus Aesopi obtegat, cum Apollonia ipsa more lugentium veste se velare videatur (166 sq.). Versum 157 deinde Britanni vertunt: I will pay you in full for everything. Quod si rectum esset, ἀντὶ vel ὑπέρ, non περὶ exspectandum erat. Si vero rem leniter mutamus et πάντα περὶ πάντων formulae partibus fungi recordamur[1]) (Bulletin

[1]) Cf. Richard Günther, Die Praepositionen in den griechischen Dialektinschriften, Diss. Lips. 1906, p. 140.

de correspondance Hellénique, 1905, p. 204, 10 sq: καὶ ἔδωκαν (τ)ὰν ἐπιτροπὰν πάντα περὶ πάντων, CIGS I 3171, 35 ἀλλ' ἀπέχι πάντα περὶ παντός), haec interpretandi ratio defendi potest. Atque ἀποδιδόναι reddendi, non aeque atque in v. 164 προςανατίθεσθαι communicandi vim habere idcirco potissimum puto, quod linea obliqua post verbum ἀποδώσω, non post versum 156 invenitur, unde duo haec enuntiata coniungenda esse et inde a verbis οὕτω μοι δέδοκται novi quid incipere concluserim. Dicit enim domina Malaco se senem, quem maritum eius esse veri simillimum est, veneno necare velle, ut cum opibus eius demigret, servumque regia usum eum arcessere iubet, ut cum eo simulatam reconciliationem faciat. Neque aliter atque cum Malaco cum parasito quoque consilium communicare studet (163 sq.), qui eodem puncto temporis quo eum quaerit intrat. Qui cum magis idoneus ei videatur ad senem adducendum quam Malacus, consilio mutato servum revocat (165 παιδίον, παῖ; Crusius aptissime confert Herond. 5, 55). Sed cum mulier quid velit aperire conatur (τὸ τοιοῦτόν ἐστιν, παράσιτε), Aesopum et Apolloniam iacentes conspicit. Mirum vero id est, quod mulier, quamquam parasitum de consilio suo certiorem facturam se esse modo (164) dixit, nunc coram illo quoque mariti animum sibi reconciliare se velle simulat (168). Sed mox res dilucescet. Intrat enim cum Malaco, ni fallor, domum et brevissimo tempore post (cf. pag. 53) revertitur. Ac dilucide spectatoribus ostendit, quid interea factum sit: τὸ φάρμακον ἔχεις συνκεκραμένον (venenum igitur manibus tenes commixtum). Deinde ad parasitum (linea obliqua!), qui cur nondum ad dominum ierit me nescire confiteor, se convertit et vultu blando: καὶ τὸ ἄριστον, inquit, ἕτοιμόν ἐστι. Parasitus autem ciborum cupiditate excitata interrogat, quomodo comparatum sit prandium, quam interrogatiunculam domina repetit: / τὸ ποῖον; /. Itaque Malacum advocatum (/ Μάλακε /) vas vino suppletum tenere (λαβὲ ἰδοὺ οἰνόμελι 172) iubet venenumque infundit. Hoc eius responsum est. Nunc parasitus quoque perspicit, quaenam reconciliatio illa sit, dicaci-

tatemque mulieris tanto cachinno approbat, ut a Pane captus videatur servosque eum comitari necesse sit, ne venter discutiatur (173 sq.). Quomodo si rem interpretamur, quanam de causa mulier tam contenta sit (174 sq. *τοῦτο μὲν ὥς ἐβουλόμην τετέλεσται*, 176 *πάντα ἡμῖν κατὰ γνώμην προκεχώρηκε, ἐὰν ἔτι* . . . .) intellegimus: neque enim iam dubitat, quin parasitus, quo valde indiget (v. 167 *χρείαν σου ἔχω*), se adiuturus sit. Ac re vera in v. 180 parasitus a Spinthere petit, ut plus veneni[1]) in poculum, quod seni oblaturus est infundat. Spinther autem eadem qua in v. 173 (*τάλας γελᾷ*) parasitus impudentia usus timet ne rideat, cum dominus venenum sumat (180 sq.). Sed iam ad *ἀγῶνα*, ni fallimur (cf. pag. 54) pervenimus. Parasitus ergo in v. 178 redit et dominum brevi post venturum esse mulieri nuntiat, quae primum expavescit (*αἴ, πῶς;*), deinde propositum mox assecuturam se esse laetatur (178 sq: sane quidem, omnibus enim nunc potita sum). Parasitus autem validiore veneno postulato Spintheri videtur suadere, ut orationem praeparet, id quod ille ne nimium multi loquantur ipse indicat his verbis usus (181): *καὶ καλῶς λέγεις· λέγω τί* (= ὅ, cf. pag. 11) *με δεῖ λέγειν*. Itaque incipit: *πάτερ κύριε* . . . . Sed dum loquitur, Malacus vultu et gestibus significat se minime sodalis verbis contentum esse, id quod ille his verbis reicere studet: *τούτῳ μόνον ἀληθῶς οὐ λέγω* (184). Neque tamen Malacus repellitur, sed sermone eius interciso (184 *ἄφες ἐγὼ αὐτὸν θρηνήσω*) *ἀληθῶς* loquitur neque ulla re celata domini sortem miserrimam per ludibrium lamentatur: *ταλαίπωρος* enim et *ἀλγεινὸς* dominus est, *ἄκληρος*, quod opes eius a muliere surripiuntur (cf. v. 158 *καὶ πωλήσασα τὰ ὑπάρχοντα*), *ἀναφρόδιτος*, quod ab uxore destituitur et necatur. Sed intrat subito dominus et ultimis eius verbis exceptis (*οὐαί σοι — οὐαί μοι* 185) ligneo collari eum indui iubet. Quin etiam concu-

[1]) *Φόνος* apud Homerum (*Π* 144 *μελίην* . . . *φόνον ἔμμεναι ἡρώεσσιν*; *φ* 24) et Pindarum (Pyth. 4, 445) non solum caedem, sed etiam caedis causam vel auctorem significat (Steph. Thes. VIII col. 1000). — Crusius fortasse rectius: „*φόνον* = *οἶνον*?“, cf. Rebenblut.

bitum eius cum domina factum videtur comperisse, si *πρὶν εἶ*, cuius loco *πρὶν ᾗς* exspectandum est, recte restitutum est. Quod autem in exitu mimi legitur *μένουσι σῶοι δέσποτα* cum neque per se dilucidum sit neque quod viderim ex iis quae antecedunt illustrari possit ac ne perfectum quidem videatur esse, paegnium ipsum quoque imperfectum esse crediderim.

Natus sum Hermann Berthold Guido Winter a. d. XII. Kal. Sext. anni 1882 in vico Weesenstein patre Hermanno, matre Maria e gente Franke, quos adhuc in vivis esse gaudeo. Fidei addictus sum evangelicae. Rudimentis litterarum imbutus postquam per triennium Gymnasium Regium Dresdense frequentavi, anno 1896 in Scholam Regiam Afranam receptus sum. Maturitatis testimonio instructus ut studiis philologis Germanisque me darem academiam Lipsiensem (1902—03), Bonnensem (aestate 1903), Berolinensem (hieme 1903—04), denique iterum Lipsiensem accessi. Docuerunt me viri illustrissimi Brugmann, Heinze, Immisch, lungmann, Koester, Lipsius, Marx, Sievers, Studniczka, Wachsmuth, Wundt Lipsienses; Brinkmann, Buecheler, Clemen, Loeschcke, Solmsen, Wilmans Bonnenses; Diels, R. M. Meyer, E. Schmidt, Vahlen, de Wilamowitz-Moellendorff Berolinenses.

Lipsiae per duo semestria proseminarii philologi sodalis fui, per unum senior moderante viro doctissimo Immisch; in proseminarium archaeologicum Studniczka, in proseminaria Germanica de Bahder et Koester me receperunt. Bonnae proseminario viri illustrissimi Wilmans, Berolinae proseminario v. i. Diels, Helm, Wentzel, seminario v. i. E. Schmi d sodalis ordinarius interfui. Lipsiam me reversum in semit narium philologum viri doctissimi Lipsius, Marx, Wachsmuth, in seminarium Germanicum Koester per bina semestria sodalem ordinarium receperunt.

Quibus praeceptoribus cum omnibus tum Marxio, qui ad hanc rem tractandam me incitavit, ac Lipsio, qui studia mea benevolentissime fovebat, gratias habeo quam maximas.